FRANK, LOUIS

Zur Rotbr. 108

DE PESTE,
DYSENTERIA ET OPHTHALMIA AEGYPTIACA,

AUCTORE
LUDOVICO FRANK,
MEDICINAE DOCTORE,
SUAE MAJESTATIS, MARIAE LUDOVICAE, ARCHIDUCIS AUSTRIAE, DUCIS PARMAE, PLACENTIAE ET GUASTALLAE A CONSILIIS INTIMIS ET ARCHIATRO,
MEMBRO CORRESPOND. SOCIETATIS MEDICAE AEMULATIONIS PARISIENSIS, INSTITUTI SCIENTIARUM NATUR. NEAPOLITANI, SOCIETATIS AGRICULTUR. FLORENTINAE, ACADEMIAE JONIAE, SOCIETATIS MEDICAE LUGDUNENSIS IN GALLIA, SOCIETATIS MASSILIENSIS, ACADEMIAE SCIENTIAR. ET ARTIUM LIBERAL. TULONENSIS, PATAVINAE, ET SOCIETATIS IMPERIAL. MEDICAE VILNENSIS.

CUM TABULA LITHOGRAPHICA,
quae structuram nosocomii pro pestiferis in Oriente repraesentat.

VIENNAE,
APUD C. SCHAUMBURG ET SOC.
1820.

Viennae, ex typographeo J. E. Akkermann.

EPIGRAPHE.

Pour se mettre en état d'etudier avec ordre, de réflechir avec fruit, et de parvenir à des découvertes utiles, il faut premièrement *voir beaucoup, voir souvent, bien examiner, et revoir encore.* C'est le moyen de se familiariser avec les objects, et de se meubler la tête d'idées et de faits qui deviennent dans la suite la règle de nos jugements.

Voyez: Ju le Grand et Confucius. Histoire chinoise par Mr. Clerc. Soisson, 1769. pag. 145.

Praefatio.

Per longius tempus haesitavi, antequam observationes meas de peste, et dysenteria Aegyptiaca, publici usus facerem. Volui etenim notitias, quae horum duorum morborum habentur, invicem comparare, laborique meo formam circumscriptam, et hinc a plurimis operibus, quae hac de re existunt, longe diversam dare.

De peste acturus, studui evitare nimiam prolixitatem, et otiosas discussiones; nec existimavi necessum esse, completum tractatum de ea conscribere, cum innumeri alii jam existant, quorum nonnulli tantum ea, quae ab aliis dicta sunt, repetunt; utiliusque fore existimavi, si solummodo, et in primis de omnibus iis circumstantiis loquerer, quae speciatim pestem Aegyptiacam adtinent, et tantummodo de momentis maxime essentialibus, accuratam ejus cognitionem spectantibus, dissererem, et opiniones de ea dubias ac incertas refutarem.

Praeter ea volui trans limites vulgares therapiae hujus morbi, quam mille circumstantiae impediebant, progredi.

Omnes, quibus historia hujus calamitatis generis humani nota est, persuasi erunt, artis me-

dicae peritos, respectu ejus in eodem quasi orbe semet movisse, cum eadem semper remedia adhibuerint, quae jam saepius exhibuerunt; et quae non solum veris artis principiis contradicunt, sed etiam aperte ridicula, et minime remedia salutaria sunt. Res quidem facilis fuisset, vastum opus de peste conscribere; at superfluum mihi videbatur ea repetere, quae jam ab aliis artis medicae scriptoribus, hoc de morbo dicta fuere. Aeque inutile fore existimavi, si symptomatologiae hujus morbi, a Domino Savaresi, Pugnet, Larrey, et Desgenettes descriptae, immorarer; eandem ob caussam non necessarium esse credidi, ut de methodo chirurgica pestem pertractandi, a Barone Larrey et Desgenettes exposita, et de remediis praeservantibus, de quibus complura opera prolixe agunt, loquerer. Quae de remediis ad morbum hunc debellandum, aptis dixi, ea observationi debeo, et hinc persuasus sum, ab iisdem salutarem etiam effectum sperari posse.

Silentio quoque praetereo, tentamina plurium medicorum, pestem inoculandi; cum talia experimenta, nulli principio solido superstructa sint, nec ab iis emolumenta, similia iis, quae insitio variolarum, et vaccinae adfert, exspectari possint. Pestis enim non semel tantum, ut variolae invadit; innumera enim exempla dantur; eam idem individuum pluries, et semper eadem cum

vehementia invasisse. Quamcunque laudem mereatur sacrificatio sui ipsius, a *Valli* et *Rosenbergio* tentata, fateor tamen candide, me ignorare, quid hi viri per id detegere voluerint? et quemcunque scopum ii prae oculis habebant, nunquam tamen oblivisci debuissent, non dari magis generi humano insidiosum miasma, quam pestis est, et omnes fere, qui temere audaces fuerant, per id periisse.

Ego quidem libenter aliis talia tentamina relinquo, nam in quantum rei peritus sum, existimo, objectum maximi momenti, quod medicus cum spe felicis exitus prosequi possit, esse, si tentamina therapeutica repetat, et variet; quae quamvis jam numerosa sint, nos tamen nequaquam ab ulteriori investigatione deterrere debent.

Amor hominum, quo ardeo, et progressus artis, potuissent me fortassis permovere, ad annos vitae, qui mihi adhuc supersunt, itineri in Orientem suscipiendo consecrandos, et ad confirmandum id, quod a variis remediis a me propositis exspectari posset; sed plane eo ipso momento, cum de his mecum deliberarem, novum munus aeque honorificum, ac splendidum mihi est oblatum. Fui enim vocatus ad principem, cujus proprietates et virtutes eminentes, nimis notae sunt, quam ut necessum sit, eam nominare.

Multi medici loquuntur de dysenteria climatum calidorum, in quibus commorabantur, ut

de morbo ad curandum perdifficili, et hinc mortifero. Occurrunt quidem passim in scriptis eorum verae et utiles observationes de eo, sed nemo horum auctorum de hoc morbo tam prolixe egit, ut is mereretur. Medici exercitus Gallici in Aegypto de eo tantum obiter loquuntur. Cum per quatuor continuos annos eum curaverim, non defuit mihi certe larga occasio instituendarum respectu ejus observationum, notatu dignarum; quibus ea adjeci, quae apud auctores inveni, qui de morbis Europaeos in calidis climatibus affligentibus loquuntur; et hac ratione labori meo eum gradum utilitatis conciliavi, quem non facile ei quispiam denegabit.

Tandem curavi hic typis recudi tractatum meum de ophthalmia, qui jam anno 1812 in lucem prodiit. (Vide Opuscules de médécine pratique. Paris), et qui nunc paucas mutationes subiit, et exiguis additamentis locupletatus est. Ego argumentum hoc omni cum prolixitate, quae necessaria videbatur, pertractavi; hinc tractatus hic multo amplior est, quam ii, quos Dom. Larrey et Savaresi de hac materia scripserunt.

Felicem me sum reputaturus, si opera mea adprobationem artis peritorum obtinuerint, et si futurae progeniei utilis esse potero, ostendendo viam minus incertam, iis, qui post me artem medicam exercebunt.

OBSERVATIONES GENERALES
DE PESTE AEGYPTI.

Ex quo mihi proposueram Aegyptum proficisci, perspexi maximi momenti fore, si adtentionem meam praecipue in pestem, morbum omnium maxime atrocem converterem, qui persaepe pulchram hanc regionem devastat, in qua olim incunabula Scientiarum et artium fuerant. Hinc statim initio omnia legi, quae diversi peregrinatores, de hoc morbo scripsere, in primis summa cum attentione perscrutatus sum opera eruditi olim medici Prosperi Alpini; at mox perspexi omnia, quae in iis continentur, nihil nisi observationes separatas esse, et ea, quae historiam hujus morbi spectant, summa cum severitate examinari debere. Cum mense Novembri 1797 Alexandriae e navi descendissem, totum me collectioni factorum certorum, quae historiam pestis adtingunt, dicavi; post aliquot menses urbem Kairum petens, disquisitiones meas illic continuavi, easque cum iis comparavi, quae jam Alexandriae et Rosettae collegeram; ac tandem per complures continuos annos occasionem habui observandi terribilem hunc morbum, atque sic per decursum quatuor annorum observationes, quas in hoc tractatu invenies, colligere potui.

Redux in Galliam cum exercitu, qui regionem hanc armis occupaverat, vidi sensim opera dominorum Desgenettes, Larrey, Pugnet, Savaresi, Sotira, Assalini, Bansenard, quae multas observationes de peste Aegypti adtentione dignas continent, in lucem prodiisse. Ego ipse jam tunc temporis observationes meas de hoc morbo, typis edere potuissem; sed desiderans, historiam et naturam ejus adhuc profundius et denuo perscrutari, proposueram mihi, adhuc alias regiones Orientis invisere, scopo eo, ut ibidem novas observationes colligerem, et eas cum iis compararem, quas in Aegypto institueram. Hac ex caussa secundam peregrinationem Tunisium suscepi, ibidemque per unum annum commorabar; tandem tertiam peregrinationem in Graeciam continentalem suscipiens, eam per sex annos peragravi, adeoque per tria lustra continuo de peste meditabar, et observationes respectu eorum, quae inprimis ad pestem Aegypti pertinent, studiose collegi; ac ut paucis dicam, nunc observationes meas juxta eas meorum collegarum collocare audeo. Nunc in primis oportet eorum opiniones de peste, cum mea opinione comparare. Viri artis medicae periti, de utilitate et merito laboris mei, quem hic iis offero, judicium ferre poterunt. Jam in praefatione monui, scopum meum nequaquam fuisse, consummatum tractatum de peste conscribere, quippe quod mihi conveniens videbatur, me ad ea solum restringere, quae directe Aegyptum adtingunt; quia regio haec pro primario fonte miasmatis pestiferi omnino habebatur.

Monendum quoque hic habeo, Europaeos nomine pestis mire abuti, et eo tam febrem pestilentialem, quam multas epidemias, quae re ipsa nihil aliud erant, quam typhus contagiosus, promiscue designare. Non

immorabor igitur hic etymologiae nominis pestis, et transibo potius ad definitionem hujus morbi, cujus natura proteiformis, vix ac ne vix adaequatam admittit. Caeterum farraginem observationum mearum cum adtentione considerans, existimo hanc, quae sequitur, esse optimam:

»Pestis est morbus febrilis, plus minusve contagiosus, saepe summa cum debilitate virium, et bubonum aut anthracum eruptione conjunctus, et aegrotum citius, quam alii morbi e medio tollens.«

Estne pestis pro typho contagioso, ut nonnulli existimant, habenda; an vero est morbus peculiaris? In hoc tractatu occasionem habebo, quaestionem hanc solvendi.

Facta certissima me de eo convicerunt, quotiescunque pestis in Aegypto exoritur, miasma pestilentiale, infinitas varietates offerre, et hinc nunc cum majori, mox cum minori vi agere, et magis contagiosum esse. Quandoque id sub initium epidemiae vehementius agit, quandoque tantum, postquam morbus aliquandiu jam perstitit; et quo magis epidemia ad finem vergit, eo magis etiam morbus mitescit. Non oppugnabo hic opinionem eorum, qui negant pestem esse contagiosam. Nemo medicorum, qui cum exercitu gallico in Aegypto fuerant, opinionem hanc resuscitavit, praeter Doctorem Assalini (observations sur la maladie appellée pest. Paris, an X.).

Terror quem contagio pestis incutit, est magnus; sed quamcunque ideam sibi homines de eo forment, certum tamen est, eum longe minorem esse, ac is est, quem variolae incutiunt. Hoc phoenomen provenit ex consideratione numeri eorum, qui in Aegypto viventes, nunquam a peste erant correpti, quae quod infaustum! ibidem saepe prorumpit, et majorem

minoremve stragem edit. Notum e contrario est, variolas vix unum ex decem millibus intactum relinquere. Et si pestis adeo contagiosa esset, ut vulgo credunt, regio haec jam penitus incolis privata fuisset; praesertim cum Mohamedani secundum dogma praedestinationis, credant se ingens crimen committere, et voluntati divinae semet opponere, si tutamen contra eam quaerant.

Quamvis debilitas virium, pestem aut praecedit, aut concomitatur, tamen errores, si existimares, eam a peste inseperabilem esse. Certum quidem est, pestem nonnunquam semet cum magna virium prostratione manifestare, vel eam, ubi jam morbus prorupit, accedere. Sed aeque certum est, me multos peste adfectos vidisse, qui sine ulla virium prostratione erant, quippequi ad locum Sied, sat procul distantem proficisci poterant, ubi nempe nosocomium militare, dictum praedium Ibrahimi Bey, in extrema parte urbis Kairo erectum erat. Recordor inter caeteros ministri aegrorum superioris, qui me cum agrotos invisissem, sequebatur, et me usque ad portam nosocomii concomitans, conquerebatur, se levem dolorem sub dextra axilla persentire; respondi, id posse esse symptoma incipientis pestis; at ille me irridere, et coram me saltare coepit, et post tres dies mortuus est. Apparatio bubonum sub axillis, vel in inguine, — rarior in collo, aut in facie, symptoma est maxime constans et characteristicum hujus morbi; vidi tamen complures peste adfectos, apud quos aut nullos bubones observavi, aut qui tantummodo tempore mortis adparuere.

Circumstantiae hucusque adlatae, sufficienter demonstrant, quam difficile sit, exactam dare terribilis hujus morbi, definitionem. Nullus auctorum difficulta-

tem hanc magis sensit, quam doctor Chenot (*), qui in meam sententiam, non minori cum energia, ac veritate, sic de hoc argumento scribit; »videlicet vere protheus »hic morbus, non in variis tantum, sed in uno, eodem»que aegro intra breve tempus novas induit formas, »nova offert phoenomena; novas aperit origine, nexu, »progressu, successu mire variantes scenas. In hoc ae»gro levis invasio improvisam mox parit malorum ca»tervam: in isto terrifica initia salutarem nanciscuntur »exitum: ille praeter spem emergit, quem morbi gra»vitas morte damnare videbatur. Alter perit, qui se »vix aegrum existimat: tertium videas sanorum more »circumambulantem, qui post paucas horas mortis ca»det victima.«

Haec omnia cum peste Aegypti ita congruunt, ut credas Chenotium hunc morbum in eadem regione observasse.

Alia questio aeque permagni momenti est, ut certo decernatur, an pestis Aegypti semper constantem characterem habeat; an vero pro ratione circumstantiarum et constitutionis epidemicae variet?

Ad quaestionem hanc respondere volens, debebo facta anteriora, altius repetere, et colligere in quantum fieri potest, notitias de charactere compluriam epidemiarum pestis, easque cum meis propriis observationibus comparare, sicut et cum iis, quas alii medici fecerant. Omnes notitiae, quas mihi ope laboriosarum perscrutationum procurare potui, et ea, quae ipse expertus sum, demonstrant, fere omnes pestes in Aegypto observatas, naturae adynamicae fuisse.

Doct. Pugnet, unus e medicis, qui exercitum orientis concomitabantur, exacte delineavit symptomata pestis, quae Damiattae anno octavo se manifesta-

(*) Tractatus de peste. Vindobonae, 1766. p. 93.

vit. Idem adserit, se eodem tempore mox pestem inflammatoriam, mox putridam, mox nervosam observasse, et se in errorem inductum fuisse, per plura fallacia phoenomena, quae frequentius in hoc, quam in quocunque alio morbo occurrunt. Egomet nullum casum pestis inflammatoriae observavi, et observationes a dominis Desgenettes, Larrey et Sotira institutae, cum iis quae dixi, conveniunt. Dom. Savaresi circumspecte et graviter monet, medicos diffidere debere fallacibus phoenomenis saburrarum, plethorae, vel diathesis inflammatoriae. Quare nullus dubito adfirmare, dominum Pugnet, in hac re errorem periculosum in medium protulisse.

En talia accidunt, ubi tyrones in arte medica, artis rite observandi ignari, scribere audent, dum nihil nisi divisiones scholarum memoria tenent! Notum quidem mihi est, complures ad observationes Sydenhamii libenter provocare; sed inde nequaquam sequitur, rem eadem ratione se etiam in Aegypto habere; morbi nimirum inflammatorii sunt in hac regione, ut jam alibi adnotavi, consuete rarissimi (Vide mea: opuscules de Médéc. practique. p. 1.)

Fieri quidem potest, quandoque pestem adynamicam per speciem inflammatoriae decipere, sed nunquam observatores, qui in arte sanandi experti sunt.

Res magni momenti mihi etiam videbatur, notitias respectu diversarum epocharum, in quibus pestis semet in Aegypto manifestaverat, invicem comparare; has obtinui a doctore Vordoni, qui cum Kairum advenissem, ibidem jam quindecim annos exegerat, et quamvis eis ea praecisio, quam desiderassem, deest, tamen hae eo non obstante utiles sunt. Hae solae sunt, quas de eo obtinuere potui, quod per tria lustra ante meum adventum ratione pestis evenit. Nam

in hisce regionibus non est consuetum, eventus, qui ad cognoscendam historiam epidemiarum pertinent, adnotare.

Relatio ab ipso doctore Vordoni conscripta, et mihi tradita ita se habet:

»Anno 1785 habuimus Alexandriae pestem, quae »non magnam stragem illic edidit, et ad superiorem »usque Aegyptum extendebatur; ea denuo comparuit »anno 1788, originem suam traxit in Aegypto superio»ri, et majores strages edidit, quam praecedens. An»no 1791 in urbe Kairo vehemens pestis, dicta pestis »Ismaelis Bey, prorupit quae semel jam mense Octo»bri 1790, in suburbio Kairi Bulac nominato manife»stavit; contagio fuit pergre adlata. Anno 1796 pestis »Alexandriae exorta est. (Credit V. se adfirmare pos»se, eam cum febre putrida incoepisse, quae dein in »pestem degeneraverit.) Anno 1797 grassabantur in »loco Miniet in Aegypto superiori febres biliosae, quae »dein in pestem terribilem degenerarunt. Alexandriae »fuit pestis mitior, quam anno praecedente. Anno 1798 »dominabatur pestis Alexandriae, et mitior Kairi, sed »casus funesti adeo numerosi erant, ut semet Euro»paei ad evitandam contagionem tandem recluserint.

Postquam ea examinavi, quae pestem Aegypti in genere adtinent, nunc singula hujus terribilis morbi momenta successive investigabo. Atque ut in quantum fieri potest, ea quae ad pestem Aegypti pertinent, justo ordine, et exacte perscruter, conveniens mihi videbatur, sequentes quaestiones perlustrare.

1. An pestis originem suam habeat in Aegypto?
2. Quae sunt diversa illa phoenomena, quae pestem antecedunt, et ejus evolutionem manifestant?
3. Quis decursus pestis est in Aegypto?

4. Desinitne pestis semper tempore determinato?
5. Quae regiones Aegypti sunt, quas pestis ut plurimum devastare solet?
6. Quas strages pestis edit inter incolas Aegypti?
7. Quae causae possunt principium pestis contagiosum gignere?
8. Quae individua facillime a peste corripiuntur?
9. Quomodo agit principium contagiosum pestis in corpus humanum?
10. Quaenam sunt signa diagnostica pestis?
11. Quae prognosis est in peste?
12. Quaenam est methodus pestem curandi?

PRIMA QUAESTIO.

An pestis originem suam habeat in Aegypto?

Omnes peregrinatores eruditi, qui Aegyptum inviserunt, ut Prosper Alpinus, Savary, Volnay, Sonnini, Olivier, et Brown, uno ore adfirmant, pestem semper peregre in Aegyptum adferri, exempli gratia Constantinopoli, Smyrna, Salonice, ex insulis Archipelagi, vel ex provinciis sic dictae Barbariae.

Ex quo Galli celebrem hanc regionem anno 1798 armis occuparunt, ex quo viri artis medicae gnari, exercitum gallicum sequentes, cognitionem clymatis et morborum Aegypti sibi compararunt, ex quo omnia ea cum adtentione examinarunt, quae celeberrimi historiographi de hac regione narrant: complures eorum ausi sunt affirmare pestem nequaquam pro morbo peregre in Aegyptum adlato, sed ei originario esse habendam.

Quaestio haec tanto majoris momenti pro regimine gallico fuit, cum id scopum habuerit, coloniam ibidem fundare. Egomet ipse auctores consului, qui

historicis disquisitionibus operam dederunt, et peregrinationes suas descripserunt; at eo non obstante collegis meis assensum meum in his praebere non possum; hinc conabor in quantum id fieri potest, causam hujus diversitatis opinionum explicare, et ita lectorem aptum reddere ad judicium definitivum de hac re ferendum. Domini medici Larrey, Savaresi et Pugnet, pestem pro morbo Aegypto indigena habent, et postremus hic pro sustentanda sua opinione, plura argumenta adfert, quae primo obtutu, plane indubitata esse videntur, sed facile perspici potest, auctorem hunc magna cum anxietate, apud complures scriptores veteres, argumenta ad fulciendam opinionem suam conquisivisse, quorum nervum probandi nunc examinabo.

Dominus Pugnet ait, »Moysen, quem sana chro»nologia inter primos scriptores, qui innotuerunt, »numerat, — Moysen, qui in Aegypto natus est, loqui »de peste ut signo vindictae divinae maxime metuendo, »et ut de calamitate generis humani, cui minime »medela adferri possit; sed simul etiam, ut de mor»bo apud incolas ripparum Nili non adeo noto. Et »quum Pharao, qui tum regnabat, Judaeis veniam »ex Aegypto emigrandi denegasset, ducem eorum, »ei pestem et mortem minari; ut indubiam seque»lam hujus repulsae: P e r c u t i a m t e, e t p o p u l u m »t u u m p e s t e.

Doct. Sotira recte respondit ad primum hoc argumentum (*) domini Pugnet, dicens, sanam criticam Moysis scripta, inter libros apogryphos referre.

(*) Memoire sur la peste observée en Egypte par Gaetan Sotira. Hic tractatus insertus est operibus instituti Aegyptiaci.

Quod ad cognitionem adtinet, quam populus Aegyptius de peste habuerit, argumentum hoc nequaquam demonstrat, eum hoc morbo saepius fuisse adjectum; nam populi Europaei, qui peste raro adficiuntur, eam tamen pro flagello Dei vel naturae habent. Sed Pugnet, qui supponit, minas Moysis autographas esse, scire debuisset, nomen pestis apud antiquos, non solummodo morbum, de quo hic quaestio est, significare, sed interdum etiam mortem denotare, quod inter alia ex iis patet, quae in tentamine professoris Andreae Wawruch (*) de hac materia leguntur; hinc mea quidem opinione, primum hoc argumentum nullius pretii est.

Secundum argumentum, quod doctor Pugnet allegat, ad probandum, pestem a longissimo tempore in Aegypto exstitisse, est, Herodotum referre, apud Aegyptios fuisse medicos, qui tantummodo morbos incognitos curaverint. Sensus horum verborum, inquit, Pugnet, non est aequivocus; nemo ignorat pestem apud antiquos primum locum inter morbos incognitos, morbos sacros, et morbos divinos occupasse. Sed quis non agnoscit in his virum, qui omnem operam dedit, ut argumenta plausibilia ad confirmandam suam sententiam detegeret; et qui tandem omnia invenit, quae quaesivit. Quis praeter dominum Pugnet, sibi persuadere potest, locum hunc frequentiam pestis in Aegypto demonstrare? Omnia quae Aegyptii fecerunt, et exercuerunt, non exclusa conditura cadaverum, huic auctori argumento sunt indubitato eos semper semet adversus hunc terribilem morbum custodevisse.

(*) Tentamen inaugurale, philologico-medicum, sistens antiquitates typhi contagiosi etc. Viennae, 1812. p. 8.

Ego hic adfirmare ausim, omnia, quae D. Pugnet in medium adfert, non solum arbitraria, sed re vera effectum imaginationis exaltatae esse, quae sibi vim infert, ad veritatem ibi detegendam, ubi nulla unquam fuit.

Quicunque vel minimum Herodotum novit, erit persuasus, eum magis minutiosum fuisse in eo, quod Aegyptum adtinet, quam ullus historicorum nostrae aetatis; et hinc hunc magni judicii historicum, certe mentionem pestis facturum fuisse, si ea tunc temporis, ut nostra aetate ibidem exstitisset; et si ea tunc, vel ante eum, celebrem hanc regionem adflixisset, potuisset ne is de ea tam indefinite et obscure loqui? Nonne magis rationi conveniens est, si supponamus, eum descriptionem hujus calamitatis daturum, et ejus strages indicaturum fuisse, si eam novisset?

Potestne in dubium vocari stupendus numerus incolarum hujus regionis, et habuisseine is locum, si tunc temporis pestis adeo commune flagellum in Aegypto fuisset, ac nostra aetate? Silentio praetereo enormem populositatem Aegypti tempore Sesostris, et tantummodo Josephum de bello Judaico lib. II. Cap. XVI. §. 4. adducam, qui adserit, sua aetate in Aegypto septem milliones, et quingentena millia incolarum fuisse, praeter incolas Alexandriae, qui plures, quam tercentum mille numerabantur. Bubasti celebrabantur secundum Herodotum nundinae anniversariae, ad quas plus quam septingentena millia hominum venire solebant; immo anno 639 aerae vulgaris, cum Saraceni Alexandriam armis occupassent, numerabantur in hac urbe adhuc quater mille balnea publica, (nisi zerus justo plus adjectus sit) viginti millia hortulanorum (*),

(*) Compendio cronologico degli annali d'Italia, di Anton. Muratori. Vol. II. p. 284.

et quatuor mille comoedi. Si similia facta historica prae oculis habeas, an verosimile est, regnum ita florens, et sapienter administratum, devastationi pestis fuisse subjectum?

Dom. Papon magni judicii scriptor, alia adhuc argumenta adfert, quae sententiae meae, quam contra Pugnet (*) defendo, sustentandae inservire possunt. Si pestis inquit ille, semper in Aegypto originem suam traxisset, non affecisset ea certe populos, qui in nullo directo commercio cum rippis Nili fuere. — Pestis fuit delata Romam regnante Romulo, ubi haec urbs necdum commercium, aut navigationem noverat. Idem morbus Romam anno 717 ante aeram vulgarem afflixit, et se ibidem denuo sub rege Numa, et Tullo Hostilio manifestavit. Hoc acciderat, ubi Aegyptus maxime floruit, fertilis fuit, et humanitate atque populositate eminuit. Unde D. Papon juste concludit, omnia haec docere, tunc temporis eas caussas, quae pestem generare potuissent, vix in Aegypto, sed in Italia, Gallia, et in provinciis, quas Iberis et Tajus alluit, exstitisse, et pestem tantum oriente societate hominum, et ubi hi fixas sedes sibi elegerant, initium coepisse. Si igitur morbus in Aegypto visus est, antequam is in Italia regnasset, caussa indubia hujus rei erit, quod societas hominum ibidem sit antiquior; at semper affirmabo eam, si jam iis temporibus ibidem occurrerat, perraram fuisse.

Longa experientia docuit, unam e praecipuis caussis, quae generationi morborum contagiosorum favent, et qui ob strages, quas edunt, pesti simillimi sunt, esse bellum. Historia nobis res maximi momenti narrat, de occupatione Aegypti per Persas, qui

* Epoques mémorables des pestes.

eam per centum et duodecim annos in potestate sua tenebant; at nulla fit apud historicos mentio ullius mortiferi morbi, qui vel inter Persas, vel inter Aegyptios occurrisset.

Alexander post Persas Aegyptum armis occupavit, et Quintus Curtius, qui magnum hunc belli ducem semper concomitabatur, nullius morbi contagiosi mentionem facit, qui exercitum ejus in hoc regno adfecisset. Facit quidem auctor hic, in duobus diversis locis historiae suae, mentionem pestis, sed in primo casu adlato, frigus fuit, quo circiter quinquaginta millia hominum perierunt; in secundo, febris malae indolis, post famem se manifestavit.

Post mortem Alexandri, Ptolemaei per tria saecula in Aegypto regnarunt, nec tamen historia ullam mentionem pestis facit, quae temporibus eorum exstitisset. D. Pugnet provocat ad pestem anni 542 a Procopio descriptam, quae ex Aegypto venerit; sed non perpendit, Procopium historiam suam Constantinopoli conscripsisse, et id, quod de origine pestis narrat, minime certum esse. Pestis saeculi XIV. dicitur originem suam etiam in Aegypto traxisse; sed qui fit, quod celebris Friend, quem Pugnet citat, adserat, eam ex India orientali venisse?

Doctor Savaresi sicut et Pugnet, studet probare, Aegyptum semper fontem fuisse pestis, et provocat ad pestem a Thucydide descriptam, quae etiam ex hac regione venerit. Equidem veneror amorem veritatis, et auctoritatem Thucydidis, ut historici, inprimis ubi de belli eventibus loquitur, — eumque inter omnes historicos quos habemus, pro maxime veraci reputo; sed tamen iis fidem non habeo, quae de origine terribilis illius morbi scribit, qui tunc Athenas desolaverat. Non ignoro Thucydidem narrare, ma-

lum hoc primum in portu Piraeo initium coepisse, ubi semper magna copia navigatorum aderat. Sed hi non solum Aegyptum, sed etiam Chersonesum Tauricam, Ciliciam, et alias insulas Archipelagi petere solebant. Notum mihi quoque est, Galenum diserte affirmare, contagionem eam ex Aethiopia Athenas delatam fuisse sed non est securum huic testimonio penitus fidere; et si ii, qui ad testimonium hoc provocant, pestem ex Aethiopia Athenas esse delatam, relationem Thucydidis cum adtentione legissent, facile tristem illum statum cognovissent, in quo Athenienses eo momento versabantur, ubi pestis exorta est, quippequi in civitate inclusi, continenter ab hoste nimis audaci, inquietati, timore augebantur, defectu alimentorum laborabant, et nihil nisi alimenta corrupta habebant; ac mente fracti, et miseria, atque calamitatibus exinde provenientibus obruti erant; certe omnia haec mala sufficiebant, ad gignendum morbum contagiosum. Sed quaeritur adhuc, an morbus quem Thucydides ita accurate describit, pestis revera fuerit?

Si medici facta a Thucydide adlata, penitius disquisivissent, pridem de eo convicti fuissent, morbum, quem is pestem adpellat, nihil aliud fuisse, quam typhum maxime contagiosum; veritas hujus rei, jam alibi summa cum evidentia a Professore Wawruch est demonstrata (l. c.).

Quicunque opera D. D. Pugnet et Savaresi percurrere voluerit, perspiciet, utrumque coeca veneratione, erga ea duci, quae historiam antiquam adtinent; utrumque eorum videri ignorare, in ea obscuritatem, incertitudinem, et contradictiones occurrere. Quod ad historicos antiquos adtinet, duas res de iis novimus, quae hos medicos magis circumspectos

facere debuissent; primo complures eorum esse multis saeculis posteriores eventibus, quos narrant; atque adeo scripsisse historam secundum narrationes saepe immutatas, imperfectas, incertutidini traditionum obnoxias, quae quo magis a factis ipsis distant, eo magis haec exaggerant, nimis augent, quin immo etiam formam eorum immutant; secundo plurimos eorum fuisse nimis credulos, mendaces, et in chronologia somniatores. Superfluum mihi videtur, hoc demonstrare velle, de quo nemo historiae gnarus, dubitare potest.

Romani dominatum in Aegypto per 600 annos, id est ad annum 620 aerae vulgaris exercuerunt. Legi in annalibus a Muratorio editis, pestem a Procopio descriptam, originem suam ex Aegypto traxisse. Doct. Savaresi adfert, Romanos proverbium habuisse, quod militibus suadebat, vitare Aegyptum: Miles Romane Aegyptum cave! unde concludit, periculum pestis huic proverbio occasionem dedisse; at ego hanc conclusionem nimis arbitrarium esse judico. An non exstiterat in Aegypto alia, magis verisimilis caussa hujus proverbii, quam pestis? An non millies observatum, unam e gravioribus calamitatibus, quae milites premunt, esse, si longe a patria sua remoti sint? Praeterea miles, qui ubique locorum multis malis expositus est, longe pluribus in Aegypto, quam alibi locorum vexatur, ubi dysenteria, et ophthalmia, morbi, hinc clymati proprii sunt, quibus miles, ob suam vivendi rationem, et ob fatigationes varias, in hac regione magis, quam alii homines, obnoxius est. Aut si consideres regionem aestuosam, itinera permolesta, privationes omnis generis, metum mortis ex dysenteria, vel amissionis visus; an non potuerunt hae caussae huic proverbio, a D. Savaresi adducto,

occasionem dare? Milites Romani male contenti, se in Aegypto vino carere debere, nimis obmurmurarunt. Ad haec Piscinus Niger, imperator eorum respondit: Vinum quaeritis, et Nilum habetis!

Si igitur varias vicissitudines Aegypti, temporis mutationes, revolutiones, et effectus diversarum formarum regiminis consideraveris, facile tibi persuadebis, eam imperfectam quandam similitudinem, cum diversis aetatibus hominis habere, qui ex infantia in pubertatem transiens, corporis et animi vigore perfruitur, et dein in provectiori aetate, ob innumeras caussas, infirmus et caducus fit, et sic gradatim ad mortem adpropinguat.

Ea, quae hucdum de Aegypto loquens, dixi, pertinent ad ejus felicia tempora sanitatis, vigoris, et prosperitatis; sed nunc me ordo rerum eo ducit, ut etiam mentionem faciam ejus infirmitatis, decrementi, et decrepitae aetatis. Celebris hujus regionis epocha infelix adpellari potest, ubi religio Mahomedana semet per orientem diffudit.

Ex quo Aegyptus ab Ottomannis armis subjugata fuit, ex quo regio haec sceptro ferreo regi coepit, ex quo oppressio et tyrannis, summum gradum in ea adtigit, frequentius pestis in sic dicto oriente (Levant) oriri visa est; eademque mox in Aegypto, mox in sic dicta Barbaria, mox Smyrnae aut Constantinopoli grassabatur, et ob frequentem communicationem inter diversas provincias, et commercium magis activum, contagium pestis, ut ita dicam in continuam circulationem devenit; — ignorantia thronum occupans, dogma de praedestinatione, intima persuasio, quidquid in mundo accidat, a Deo venire, — indolentia et miseria, fons tantorum morborum; verisimiles caussae sunt, quae contagionem hanc

perniciosam omni momento renovant. — Videtur pestis frequentior fuisse versus finem saeculi decimi octavi. Nam si ea consideremus, quae Prosper Alpinus, ante plures, quam ducentenos et triginta annos narrat, patet evidenter, eam tunc temporis minus frequentem fuisse, ac hodiedum. Doctor Chenot, qui quinquaginta circiter annis ante eum hanc regionem inviserat, affirmat, videri, pestem singulo septennio in Oriente periodice redire. Kairi quoque complures homines senes, me praesente adseruerunt, morbum hunc a viginti inde annis, frequentius, quam antea comparuisse. Postquam opinionem eorum, qui pestem pro morbo Aegypti indigena habent, disquisivi: nunc eorum quoque argumenta adducam, qui defendunt, eam semper peregre eo adferri. Prosper Alpinus primus fuit, qui opinionem hanc protulit, et omnes fere peregrinatores eruditi, qui post eum Aegyptum inviserant, in hoc cum eo perfecte consentiunt. Permulta haec testimonia docent, hanc opinionem rei ipsi inniti; sed diffidens iis ipse summa cum adtentione investigare volui, an haec adsertio vera ac satis fundata esset? — Alexandriae, Rosettae, Damiattae, et Kairi sequentia facta cognovi. Millies observarunt, inferiorem et superiorem Aegyptum liberam fuisse ab omni morbo epidemico et contagioso. Sub hoc rerum statu, navis quaepiam Smyrna, vel Constantinopoli adpulit, onusta variis mercibus, et mancipiis ex Georgia, et ex regione Circassiorum, unde juvenes venientes, redintegrando exercitui Mamelukorum, et puellae gynaeceis ornandis inserviunt. — Interdum naves Ottomanicae, quae tempore pestis Constantinopoli discesserunt, durante trajectu, tria aut quatuor individua, e numero hominum, quos ferunt, peste amit-

tunt. Egomet ipse vidi Alexandriae navim Constantinopoli venientem, quae plures peste adfectos ad littus exposuerat; et hi die proxima, asinis impositi, per magnam urbis partem, ad nosocomium, pro aegrotis hujus generis destinatum, transferebantur. — Alias adpulerunt naves Ottomanicae, itidemque Alexandriae merces, directe Kairum mittendas, exposuerunt. Mille exempla docuerunt, post illatas in domos aliquot cistat mercibus, praesertim pellibus repletas, in iis subsequenter pestem semet manifestasse, atque inde per vastam hanc urbem propagatam fuisse. Aeque notum est, plura mancipia, in itinere Alexandria Kairum ex peste perire; et sic dein morbum hunc propagari. Omnia haec facta indubitata evidenter demonstrant, interdum pestem peregre in Aegyptum adferri, et ob defectum mediorum praecautionis, eam saepe a funesto hoc morbo adfligi.

Quod ad alteram quaestionem adtinet, aeque magni momenti est perscrutari, an miasma pestilentiale etiam in Aegypto, ut in aliis regionibus Orientis generari possit? Si verum est secundum relationem plurium medicorum, pestem anni 1796, cum epidemia febris putridae, et anno proxime subsequenti, in Aegypto superiori cum febre biliosa incepisse; et denique si consideremus, pestem eo tempore, quo exercitus Gallicus regionem hanc occupaverat, tantum exigua temporis intervalla habuisse, fateri oportet, possibilitatem originis pestis in ipsa Aegypto, esse per observationes evidenter demonstratam.

Pro ratione eorum, quae hucdum adtuli, ut regula statui potest, quod ubi pestis semet rapide, et quin eam ullus morbus epidemicus antecesserit, ma-

nifestat, eam peregre adlatam esse; sed ubi e contrario epidemia febris petechialis, vel malignae, aut nervosae regnat, tunc summe verisimile est, hos morbos degenerare, et principium pestis contagiosum gignere.

Cum admiratione observavi, singulam provinciam imperii Ottomanici hanc favorabilem sibi opinionem alere, quod in ea nunquam pestis nascatur, sed semper peregre adferatur. Hinc Aegyptii credunt eam fere semper Smyrna, vel Constantinopoli ad eos venire, interea dum incolae harum urbium aeque intime persuasi sunt, eam semper ex Aegypto ad eas adferri.

Omnes notitiae, quas inde a quindecim annis de diversis hisce opinionibus obtinere potui, persuadent mihi, hunc morbum non in una solummodo regione sed mox in hac, mox in illa oriri, cum eaedem caussae, et eaedem fere circumstantiae locum habent, et hanc ob rationem defendi non posse, Aegyptum primarium fontem pestis semper esse. In maxima parte imperii Ottomanici observavi caussas, quae ad generandam pestem sufficiunt. In provinciis, ubi extrema miseria dominatur, ubi nulli magistratus adsunt, qui saluti publicae invigilarent, ubi medici periti (si Constantinopolin et Smyrnam excipias), non reperiuntur, qui pro sua cognitione, experientia et philantropia, primordia morbi suspecti supprimere adlaborent, quid mirum ibidem saepius pestem observari?

Intime persuasus sum anno 1812 et 1813, ubi aegroti typho contagioso adfecti, — in nosocomiis, et apud incolas, tam in Gallia, quam in Germania accumulati jacebant, facile genuinam pestem exinde oriri potuisse, si sibi soli absque auxilio relicti fuissent, quod in Turcia semper fit.

Adhuc hic loci ad sequentem quaestionem respondere debeo: Cur complures adfirmaverint, et contumaciter suam opinionem defenderint, Aegyptum esse fontem pestis, et regionem maxime insalubrem; ubi e contrario alii eam pro pulcherrima et saluberrima regione totius orbis habent? Ad justum judicium de Aegypto ferendum, in qua tam multa, immense ab iis differunt, quae in Europa videmus, necesse est, ut is, qui de his judicium ferre voluerit, vir summae integer sit, et res consideret, ut se habent; quippequod plures circumstantiae integritatem hanc judicii vitiare possint, quo pertinet actio clymatis, secunda vel adversa valetudo, affectiones morales, privationes variae tempore belli, distantia a solo natali, et a cognatis major, — periculum contrahendi cujuspiam morbi, aut metus mortis in pugnis cum hoste infatigabili. Si quis igitur de Aegypto aequum judicium ferre vult, oportet, ut quieto animo regionem hanc cognoscere studeat, praeterea per plures annos cum incolis ejus commercium habeat, et in primis historiam ejus exacte noscat; — tantum his praemissis, justus judex esse poterit, et se convincet, Aegyptum, quidquid calumniatores ejus dicant, esse unam e saluberrimis regionibus in toto orbe terrarum.

Monere interim hic simul debeo, adsertionem hanc a certis conditionibus dependere. Siquis salubritate hujus frui vult, oportet, ut ne sit voluptatum avidus, quibus homines in urbibus Europaeis quotidie fruuntur, et physice ac moraliter sapienter vivat. Ii enim, qui promiscue omnis generis intemperantiae dediti sunt, et more Europaeo vivunt, brevi a morbo quopiam corripientur, valetudinarii fient, vel in

nostalgiam incident, et Aegyptum quam celerrime derelinquere conabuntur.

Quaeri hic adhuc potest, cur morbi epidemici, et in primis febres typhodes, citius in Oriente, quam alibi, in pestem degenerent? Ego per longius tempus de solutione hujus quaestionis meditatabar, sed ingenue fateri debeo, me hucdum nullam explicationem, quae satisfaceret, dare posse; unam solum rem adferam, quae fortassis, quadamtenus quaestionem hanc illustrare possit. Verisimile est in Aegypto generari morbos epidemicos, ob caussas ab iis longe diversas, quae iis generandis in Europa occasionem dant. Dependetne haec diversitas a ratione vivendi,— a privatione omnis potionis spirituosae — a nimio aestu —, a coacervatione plebis in parvis tuguriis, et a defectu vigilantiae respectu salubritatis publicae?

SECUNDA QUAESTIO.

Quae sunt diversa illa phoenomena, quae pestem antecedunt, aut ejus evolutionem annuntiant.

Cum vellem exacte omnia cognoscere, quae pestem Aegypti adtingunt, inprimis id investigare debui, an existerent quaedam signa praecursoria, quae morbum hunc annuntiarent? Atque hoc fine viros, qui hac de re me exacte edocere poterant, consului. Tam hi, quam medici, in eo perfecte inter se consentiebant, nullum dari signum, quod proximam morbi hujus manifestationem praesagiret; persuasus tamen de gravitate hujus quaestionis, nolui eam derelinquere, antequam plures circumstantias eo pertinentes examinassem, factusque sum certior, va-

rias mutationes coeli, quae in Aegypto nunquam magnae sunt, nullum plane indicium ejus adventus dare. Pluviae, quae hyeme in ora maris mediterranei cadunt, nunquam adeo copiosae sunt, ut in proximum ortum pestis agere possint. Opinio vulgo diffusa est, periculum pestis promiscue esse in ratione majoris vel minoris exundationis Nili. Jam Prosper Alpinus hujus opinionis mentionem facit, eique explicationem adeo probabilem subjungit, ut difficile videatur ejus adsertionem in dubium vocare (*). Cum non libenter, in re tam ambigua verbis aliorum fidem habeam: constitui ipse in id inquirere, an hodiedum observationes probatae, pro sustendanda hac opinione existerent?

Perspexi autem, annos pestiferos in nullo plane nexu esse cum exundatione Nili; cum semet hic morbus manifestaverit, ubi incrementum hujus fluminis exiguum fuit; et aliis annis is non comparuerit, ubi tamen Nilus nimium increvit.

Si opinio Prosperi Alpini fundata esset, sequeretur inde, praecipuam caussam, quae pesti ansam praebet, esse exundationem Nili. At si penitus omnes circumstantias, a me mox indicandas, examinaveris, facile insufficientiam hujus opinionis perspicies.

Cum in Aegyptum appulissem, Alexandriae epidemia mortifera inter felles grassabatur; — complures morbum hunc pro indicio pestis proximae habuerunt. Constantinopoli vulgo credunt, majorem mortalitatem horum animalium, esse indicium pestis indubitatum. Quamvis tales adsertiones nihil certi doceant: existimo tamen semper metuendas esse infelices sequelas epizootiae; praesertim si ea, pecora

---

(*) De medici Aegypt. Lib. I. p. 27.

cornuta invadat; nam in tali casu avari eorum possessores, interdum talia animalia mactant, ut cutim eorum detrahant, immo quandoque etiam carnem eorum comedunt. — Porro si in Aegypto, quod saepe evenit, variolae malignae grassantur, metuenda est pestis has sequutura.

Etiam fames, quae in Aegypto non adeo rara est, potest pro praecursore pestis haberi, et certe sunt morbi letiferi, qui exinde oriuntur, metuendi.

Sed etiamsi non possim indicia certa, quae futurum pestem annuntiant, adferre: tamen attentionem lectoris ad id provocare debeo, unde praesentia perniciosi hujus miasmatis, in quapiam urbe conjecturari possit, quin de eo certi quid adhuc sciamus. — Indubia et constans in Aegypto observatio est, pestem brevi in quapiam regione erupturam, vel eam indubie jam adesse, cum homines, qui morbo hoc jam alio tempore laborarunt, dolores in cicatricibus bubonum, vel carbunculorum persentiunt. Animadversionem hanc fecere Dr. Valli (*) et Paris (**), qui exacte observavit et descripsit pestem orientalem; neque tamen cum eo affirmabo, dolorem hunc esse, pro ratione qualitatis et intensionis, pestis regnantis.

Coeterum meae observationes non sunt restrictae, ad observationes solummodo horum duorum medicorum; nam mihi ipsi occurrerunt individua, quae tempore pestis, saepe dolores lancinantes in glandulis subaxillaribus et inguinalibus persentiebant. Egometipse, qui nunquam morbo hoc affectus fui, sensum hunc doloris, praesertim in inguine habui. Singulare hoc phoenomenon mihi quidem explicare non

(*) Memoria sulla peste di Smyrna del 1781. Losanna, 1788.
(**) Memoire sur la peste. Avignon, 1777.

potui; — credo tamen quandam analogiam esse, inter hunc dolorem, et sensum doloris, quo ii afficiuntur, qui amplas cicatrices habent, antequam tempestas mutetur; sed apud eos, qui peste antea adfecti erant, nec frigus, nec calor, nec pluviae, nec siccitas, ullum influxum in cicatrices tales habent; — et quamvis indubium est, atmosphaeram principium contagiosum pestis non continere, tamen in hoc casu, ei quoddam principium irritans tribui potest, quod absorptum, caussa hujus doloris sit. Nonnulli medici, qui omnia ea, quae non facile intelligunt, libenter risui exponunt, tribuunt hunc sensum doloris, vi imaginationis, magis vel minus adfectae. Sed persuasum habeo hanc opinionem arbitrariam esse. Innumeri enim homines, quos vidi, et qui consilium meum in hac specie doloris expetebant, sicut et ego nullo metu doloris, vel inquietudine adficiebantur, quam calamitates hujus generis facillime incutere possunt. Ex his omnibus, quae adtuli, sequitur, nullam circumstantiam nobis indicium indubium dare periculi imminentis, et proxime oriundae pestis; et posse nos quidem quasdam conjecturas facere, sed eas nequaquam certas esse.

TERTIA QUAESTIO.

Quis decursus pestis est in Aegypto?

Jam antequam exercitus Gallicus Aegyptum adpulisset, collegeram notitias accuratas, ad cognoscendum, in qua urbe, vel regione pestis se consueto more manifestasset. Ex his, quae in medium adtuli, facile intelligi potest, id a multis circumstantiis fortuitis dependere. Ita viderunt pestem prorupisse, pro ratione navium, quae Alexandriam, vel Rosettam appulerant, —

pro ratione diversarum mercium, quae e navibus expositae erant, ac pro ratione civitatum, ubi hae merces apertae erant, et dein in commercium venerant. Haec est una e praecipuis caussis, cur ea se quandoque Kairi manifestavit, quin ea Alexandriae, vel Damiattae se manifestaret; et cur ea in Aegypto superiori exorta est, quin ea Kairi fuerit.

Quod ad tempus adtinet, quo hic morbus consuete exoriri solet, a testibus numerosis audivi, eam rarissime mense Septembri, Novembri, Decembri, et Januario occurrere, sed consuete comparere mense Februario, Martio et Aprili. Ex quo exercitus Gallicus in Aegyptum venerat, observarunt, primos funestos casus mense Septembri accidisse. Hoc verosimiliter D. Savaresi permovit ad adserendum, pestem per novem menses, intra decursum unius anni in Aegypto grassari. Ad hanc suam adsertionem probandam, provocat is, ad sequentem locum operis Prosperi Alpini: „*Pestis Kairi, atque in omnibus locis Aegypti, invadere eos populos solet, ineunte Septembri mense, usque ad Junium.*" Ecce haec sunt, quae allegat D. Savaresi; sed sensus hujus phrasis multum per id mutatur, quod dein sequitur? „*His enim omnibus mensibus a Septembri ad Junium usque, pestis aliunde per contagium illuc adportata, eam gentem invadere solet.* Dicit porro: *quae in his primis mensibus accedit, omnium est saevissima, minus saeva est, quae tardius illuc accessit.*"

Prosper Alpinus igitur non affirmat, pestem semper mense Septembri incipere; sed etiamsi id affirmasset, inde tamen nequaquam sequeretur, rem

nostra quoque aetate ita esse habere. Certum, et observationibus comprobatum est, pestem, si ea mense Septembri aut Octobri incipiat, magis terribilem esse, quam si id tardius accidat; quia tunc per longius tempus continuat, et mortalitatis majoris caussa est. Fortassis etiam idem miasma pestilentiale magis fit lethale.

Primi casus pestis inter Gallos mense Septembri occurrentes, nec nimis vehementes, nec nimis contagiosi,—progressusque ejus usque ad Januarium, consuete lenti erant. Sed ab hoc temporis momento, usque ad mensem Aprilem gradatim increscebant. Consuete morbus hic mense Majo tantopere coeperat imminui, ut versus Junium, perpauci casus funesti occurerint, et mortalitas exigua fuerit.

Post solstitium aestivum (22. Jun.), pestem sequebantur febres typhodes, in quibus amplius nec bubones, nec anthraces comparuerunt. Ego permagnum numerum harum febrium observavi, et in nosocomio militari Kairi percuravi, — immediate post reditum exercitus Gallici ex Syria, ubi is multos homines ex peste, quam ibidem contraxerunt, amisit. Febris haec nihil contagiosi habuit, nec consuete difficilis ad curandum fuit. Praeter ea alias adhuc habui occasiones, decursum pestis observandi.

Prima observatio est, quam feci, quod ubi pestis in quapiam urbe Aegypti regnat, casus pestis occurrentes, sub singulo novilunio magis lethales, et frequentiores sunt, quam alio tempore. Haec tamen observatio non est nova. Jam enim celebris Diemerbroeck de hac re, ut certa loquitur (*).

Celebris Mead singulare hoc phoenomenon ex-

(*) Tractatus de peste Amstaelodami, 1665. p. 12.

plicat (*). Medici Balfour et Gilespi (**) loquuntur de actione lunae in febres. At omnia ea, quae viri hi magnorum meritorum, in suis operibus hac de re dicunt, mihi nequaquam satisfaciunt; quod ad me adtinet, ego meam ignorantiam hac in re confiteor.

Secunda, aeque constans ac prior, observatio est, numerum eorum, qui a peste corripiuntur, esse multo minorem, ubi Aquilo, aut Caurus flat; — e contrario tales infaustos casus frequentiores esse, ubi Auster, aut Austro-Africus dominantur; prior sensum gratum incolumitatis et vigoris, posterior sensum lassitudinis et languoris, tam corporis, quam animi excitat.

Hae sensationes tales sunt, ut plurimi medici in eam opinionem devenerint, Austrum aliquid venenosi secum ferre; quia si is vehemens est, et per longius tempus durat, non solum animalia, sed etiam plantae, ab eo male afficiuntur. D. D. Larrey et Savaresi adeo sinistrum de eo opinionem habent, ut eum pestiferum appellent. Ceterum nihil demonstrat, ventum hunc re ipsa esse venenosum; et ego magis sum pronus ad credendum, id a gradu caloris dependere, qui tunc saepe ad triginta, triginta sex immo usque ad quadraginta quatuor gradus (Thermom. Reaum.) ascendit. — Praeter ea quaeri hic adhuc potest, an non tunc temporis, major differentia inter diversas species gazium (sit venia verbo), locum habeat, ex quibus aër atmosphaericus com-

(*) De imperio solis et lunae in corpora humana, in Opp. Med. Tom. 1.

(**) Ueber die faule nachlassende Intestinal-Fieber, und den Sonnen- und Mond-Einfluſs auf diese. 1792. — Auserlesene Abhandl. für practische Aerzte. XII. Bd.

positus est? et an non tunc major vel minor gradus electricitatis in atmosphaera adsit, quam id secundum ordinarias leges naturae esse solet? Physici experti decernere poterunt, an conjecturis meis aliquid veri subsit?

QUARTA QUAESTIO.

Desinitne pestis constanter, tempore determinato?

Prosper Alpinus primus est, qui narrat, pestem in Aegypto constanter, tempore solstitii aestivi (22. Jun.) cessare. Omnes peregrinatores, qui post eum usque ad nostra tempora, de Aegypto scripserunt, loquuntur de hoc fine pestis, ut de re indubitata. Cum lex mihi sit, judicium meum de eo suspendere, quod numerosi auctores, qui de hac regione scripsere, adferunt, antequam me de eo, quod pestem adtinet, ipse certum redderem; summa cum attentione investigavi, an adsertio haec solido fundamento inniteretur? Permultum temporis impendi in consulendis ii, qui mihi notitias certas, hac de re impertire poterant. Medici, mercatores, Consules, Europaei, Mahomedani, Coptae — uno ore affirmarunt, ita se rem Kairi habere, sed Alexandriae, Rosettae, Damiattae, pestem versus festum Joannis finiri, nec tamen id omni anno exacte accidere; eam enim interdum tantummodo circa dimidium mensem Julium definere. Hoc eodem tempore circiter, eadem in Syria consuete finem adipisci solet. Omnia, quae hac de re dixi, et in posterum dicturus sum, demonstrant, veritatem hanc esse indubiam; sed argumenta magis certa, quoad ejus finem, —

et observationes a me ipso institutae, ad sequentia momenta reducuntur.

Anno 1798 pestis Kairi fuit, ubi non magnam stragem edidit, et vix per triginta dies quievit ante adventum exercitus Gallici in hanc amplam urbem. Ab ingredientibus occupati fuerunt, lecti, lecticuli, pulvinaria, et vestes stragulae Mamelukorum fugitivorum, ad nosocomia hac supellectile instruenda, et pro usu militum omnis gradus. Interim certum est, primo anno nullum exemplum occurrisse, ubi semet pestis, aut apud milites Gallicos, — aut apud incolas urbis manifestasset. Ea, quae Dr. Savaresi de pluribus exemplis pestis, quae postea in nosocomiis se manifestaverit, dicit, fidem non merentur. Nam hi eventus non poterant habere locum, quin id magistratui superiori, praesertim praefectis salubritatis publicae, et administratoribus eorum, quae ad hanc pertinent, nuntiatum fuisset. Atqui D. D. Desgenettes, et Larrey nullam ejus rei mentionem in operibus suis faciunt, immo nec ego de his plura cognovi, quam collegae mei. Non possum hic silentio praeterire mirum quoddam factum. Brevi post celebrem pugnam ad pyramides, dux copiarum Bonaparte castrorum principia (quartier général) Gizae e regione Kairi, in rippa occidentali Nili, in arce celebris Muratis Bey locavit, in qua paullo ante, plures quam sexaginta homines peste perierunt. Eo non abstante nemo ex ducibus generalibus (l'êtat major) ullum insultum pestis perpessus est.

Pestis sic dicta Ismaëlis Bey, quia in palatio ejus initium cepit, terribilem stragem Kairi edidit. Quam primum omnia individua cujuspiam familiae peste perierunt, Aga Janissariorum (princeps politiae), e vestigio talem domum clavis firmari curavit. Post-

quam perniciosa haec pestis circa festum Joannis penitus desiisset, apertae sunt plures quam 300 domus desolatae, et supellex absque ulla noxia sequela exposita fuit.

Loquebantur Kairi, de alia adhuc nimis letali peste, quae adeo terribilem stragem ediderat, ut incolae defectum habuerint assium, pro struendis loculis necessariorum. Et cum consuetudines funebres magni faciant; multa singularia hac occasione nobis semet obtulerunt facta. Incolae nempe ob metum defectus loculorum, gossypii, et lintei, haec omnia praevie sibi compararunt, ut omni momento eis praesto essent.

Postquam argumenta adtuli, quae pro perfecta extinctione pestis, et miasmatis ab ea generati, quae determinato tempore subsequitur, militant; aeque interest et refert, hic etiam observationes, per decursum trium annorum, quibus exercitus Gallicus in Aegypto commorabatur, institutas enarrare, idque tanto magis, cum conclusiones, quae inde duci possunt, iis, quae antea adtuli contradicant.

Decima quarta Julii (Messidor anni VI.) 1798 exercitus Alexandria potitus est, ubi quoddam seminium pestis aderat; — die 27 ejusdem mensis, et 21, atque 22 Augusti, varia individua, quae ad exercitum Gallicum pertinebant, peste erant adfecta, et ex ea mortua. — Mense Februario (Frimaire), pestis se in nosocomiis N. 1 et 2 manifestavit, et ibidem magnam stragem edidit; propagavit semet dein Rosettam, et eodem fere tempore Damiattae quoque comparuit; at Kairum erat ab ea liberum per integrum annum septimum, excepto unico casu, qui in nosocomio villae Ibrahimi Bey occurrit, et qui caussa fuit, quod nosocomium hoc per 26 dies observatum

fuerit, sicut et omnes, qui in eo officio defungebantur, quorum e numero ego quoque fui.

Quidam medicus Europaeus, qui matrimonio junctus, Rosettae habitabat, Alexandriam est profectus, quin pestem metuerit, quam ille ibidem regnare probe noverat; ea correptus illic periit, et res ejus cistae fuerant inclusae. Casus hic praefectis salubritatis publicae non innotuit. Socer defuncti D. Fornasini, mense Julio Alexandriam proficiscitur, et cistam generi sui Rosettam refert. Vidua aeque imprudens ac suus pater, cistam aperiunt, visuri quid in ea contineretur. Post paucos dies, primum vidua, dein ejus pater, mater, et tandem duo infantes a peste corripiuntur. Hanc ob caussam visa est pestis Rosettae mense Augusto, quod alias insolitum, et extraordinarium in Aegypto est.

Similes eventus permoverunt D. Sotira ad adserendum, Prosperum Alpinum, et alios, qui post eum scripserunt, fabulam narrasse, cum dicerent, pestem constanter desinere tempore solstii aestivi: alii quoque medici adsertionem hanc falsam esse pronuntiarunt, quamvis etiam alii peregrinatores eam confirment.

Si speciosam hanc contradictionem consideremus, et facta indubitata, quae sub oculis nostris evenerunt, perpendamus, fateri debemus, nihil occurrere, quod sufficiat ad veritatem hanc subvertendam, quae observationibus plurium saeculorum innititur.

Praeterea si omnes omnino circumstantias consideremus, quae in Aegypto, post occupationem ejus a Gallis locum habebant, perspiciemus certe multos eventus accidisse, qui cum hac epocha in nexu erant, Milites nostri Alexandriae promiscue mixti fuere cum militibus, et nautis Constantinopolitanis; prae-

terea, partim ex necessitate, partim ex avaritia perscrutabantur domos, et omnia, quae cujuspiam pretii erunt, rapiebant; brevi post Alexandriae quatuor nosocomia erant graviter sauciatis, et ita coacervatis repleta, ut horrorem excitaverint. Inprimis Rosettae milites ob defectum lignorum, effoderunt mortuos, ut obtinerent loculos. Hoc, quod in Aegypto cum sepulchris factum est, non est unicum exemplum in historia. Nam anno 340 aerae vulgaris, Imperator Constans Augustus, ex Dacia in Italiam rediens, Mediolani edictum publicavit contra eos, qui sepulchra spe inveniendorum in iis thesaurorum, vel obtinendi marmoris, et aliorum ornamentorum caussa, demoliebantur (*). Tandem confusiones omnis generis, tantae tunc temporis, si dicere fas est, a bello inseparabiles aderant, ut mirum non sit, tunc etiam res alias extraordinarias occurrisse. Solus casus medici Alexandriae mortui, sufficit ad gravitatem hujus veritatis evincendam.

Ubi species quaedam securitatis locum habet, homines privati, cujuscunque sectae sint, ex consuetudine res suas libenter, libero aëri exponere solent. At tempore adventus Gallorum, incolae omnia, quae pretiosiora habebant, diligenter absconderunt; et jam hoc unum contagionem fovere poterat. Pluries quidem severe incolis mandatum fuit, ut res suas libero aëri exponerent, sed hi nihil nisi viles pannos, in porticu exposuerunt. Et postquam iis leges nostrae ad sanitatem pertinentes, innotuissent, respectu ejus, si domi suae peste adfectos haberent, diligenter cavebant, ne id divulgaretur; quinimmo peste mortuos,

(*) Compendio cronologico degli annali di Anton. Muratori. Vol. I. p. 388.

in quopiam loculo domus inhumabant, idquod cum damno publico fiebat. Jam primus iste abusus magni momenti fuit, cui secundus accessit, nempe quod res peste defunctorum incolae celaverint, et cistis incluserint, quas tunc tantum aperiebant, ubi se perfecte securos esse existimabant. De omnibus hisce singularibus circumstantiis, anno 1813, a viris fide dignis edoctus fui, et in primis a quodam mercatore, qui in intimo nexu cum incolis hujus regionis vixerat, et cujus fidedignitas, mihi jam a viginti inde annis nota erat.

Prosper Alpinus sufficienter explicat caussas, quae ad finem pestis contribuunt. Ut vero momenta, quae intimum nexum cum hoc objecto habent, rectius cognosci possint, oportet hic adnotare, mense Martio, Aprili et Majo, Austrum, aut Austro-Africum in hac regione frequenter flare. Venti hi continuant per tres, quinque, et nonnunquam per septem dies. Tunc temporis se homines locupletes, in domos suas retrahunt, januas et fenestras diligenter claudunt, usquedum haec athmosphaerae constitutio mutetur. Post nimium hunc calorem sequitur interdum ventus frigidior; et haec vicissitudo äeris continuat usque ad mensem Junium. Mense Martio, Aprili et Majo est tempestas totius anni maxime abnormis, et hanc ob caussam etiam maxime insalubris. A primis inde diebus Junii, Aquilo constanter flat; — initio quidem moderatus, sed in dies, et gradatim fit vehementior. Hoc tempore homines semet bene habent, — morbi rariores sunt, nisi homines vitam dissolutam agant, quod consuete apud Gallos locum habebat; atque adeo hoc anni tempus maxime salubre est, et continuat usque ad Septembrem.

Cum pestis exacte eodem tempore finem nancis-

citur, quo Nilus crescere incipit, credunt nonnulli, incrementum hoc Nili, ad exstinctionem pestis inprimis conferre; at opinio haec nihil pro se habet, et mera hypothesis est. Incrementum enim Nili mense Junio adeo exiguum est, ut inde nihil concludi possit.

Attentus quantum fieri potuit, ad ea, quae ad detegendas caussas principales exstinctionis pestis ducere possent, inveni has ad duas circiter reduci posse.

Prima est aequalis et constans temperatura athmosphaerae, quae per totam aestatem regnat, et ventus Aquilo, et Caurus, qui cum vehementia flant, et hac ratione calorem, qui vix tolerari posset, temperant.

Altera est, principium caloris, cujus magna vis in principium contagionis negari non potest. Daturne quid in rerum natura magis penetrans, et magis activum, et quod materias vel maxime compositas facilius dissolvere, et difflare posset, ac principium caloris? Si perpendamus, in nosocomiis nostris omnes res contagionis suspectas, vel revera jam infectas, a principio contagioso liberari, si per duos tresve menses, meatui aurae, vel ventis exponantur: indubium est, non solum principium caloris, sed etiam ventos, qui constanter tota aestate in Aegypto flant, multum ad delendum miasma pestilentiale contribuere.

D. Pugnet, qui omnia novit, et de nulla re dubitat, dicit resuscitationem pestis, quae non obstantibus remediis praeservantibus, a Gallis statim post eorum adventum in Aegyptum adhibitis, locum habuit, convincere medicos debuisse de falsitate proverbii, quod tanto magis perniciosum et mortiferum esset, si ei fides haberetur: »A e s t a s, vulgo dicitur, n e c a t p e s t e m. Dr. Pugnet contendit, quod ubi pestis definit, id solum ab aëre dependeat, qui tunc ei non amplius faveat. At credo, debuisse illum nos

ante omnia de hac conditione äeris edocere, et assertionem suam argumentis solidis comprobare; cum autem id is non fecerit, quomodo verbis ejus fides habenda? Opinione sua captus nulli observationi a medicis, vel aliis peregrinatoribus, aut incolis in hac re factae immoratur, credens, id ei dedecori futurum. Adserit is germen pestis (certe non sponte), intra spatium aliquot annorum non emori; sed tantum quiescere. Ut probaret, germen pestis posse quiescere, percurrit is rapide auctores, et reperit in quibusdam, eam in diversis Europae provinciis per longius tempus quievisse; — et inde concludit, germen pestis debere etiam in Aegypto quasi dormire. At falsitas hujus opinionis facile demonstrari potest. De germine pestis loquens, debuisset semet praesertim in re tam gravi, clarius explicare. An exempli gratia germen pestis originem suam cum mundi initio coeperit, ut Platerus, Pistorius, Magrius etc. statuunt; an vero id emoriatur, et iterum renascatur? Prima horum opinionum plane est arbitraria; altera videtur mihi quadamtenus characterem veritatis habere. Nam omnia in mundo regenerantur; hinc oportet et pestem instar aliarum epidemiarum regenerari. Si id in quibusdam tantum regionibus orbis evenit, dependet id verisimiliter ab infinitis caussis, quas exacte determinare res difficilis est.

Si Doctor Pugnet hanc rem melius perpendisset, perspexisset germen pestis posse esse aut liberum, aut reclusum. Liberum illud adpello, ubi supellectili, et vestimentis adhaeret; reclusum, ubi in sarcinis mercium reperitur, aut ita absconditum latet, ut äeris meatui non pateat. Si is diversa haec momenta

rite examinasset, si facta a compluribus auctoribus enarrata perpendisset, certe de his dixisset, miasma pestilentiale, suam vim agendi retinuisse, quia per longius vel brevius tempus reclusum vel absconditum latebat. Si is rem hanc profundius perscrutatus fuisset, si id non pro exemplari veritatis habuisset quod sub oculis nostris accidit, certe non pro vero venditasset, germen pestis continuo existere; et peste cessante, id solum ut ita dicam, dormire. Si accuratius in hanc rem inquisivisset, intellexisset incolas hujus regionis, quaecunque sit eorum animi tranquillitas, et indolentia, tamen ubi quispiam in eorum domo peste periit, consuete omnem suam supellectilem, in porticu domus libero äeri exponere. Sed argumentum maxime indubitatum est, miasma pestilentiale fere quotannis sub finem epidemiae deleri, quod jam per longius tempus Aegyptus ab omni peste libera fuerit. Etiam ex indicibus D.D. Henrici, et Baudeuf mercatorum Gallicorum Kairi habitantium elucet, fuisse longiorem epocham, in qua Aegyptus ab hoc morbo libera fuit. Tempore, quo Sonnini in hac regione peregrinabatur, octodecim anni jam numerabantur Kairi, quibus ne minima vestigia pestis aderant. Nemo etiam negare potest, pestem per septennium, post discessum exercitus Gallici ex Aegypto, in nulla parte hujus regni visam fuisse. Omnia haec facta, mea quidem opinione satis probant, a e s t a t e m n e c a r e p e s t e m, et somnum, quem ei Pugnet tribuit, esse chimaeram, et effectum imaginationis ejus exaltatae. Si melius ea cognoscere studuisset, quae penes exercitum nostrum acciderant, didicisset, quod ex subductione calculi exacta pateat, numerum aegrotorum in exercitu orientis minorem fuisse, quam

apud reliquos exercitus Gallorum in Europa, et quidem sine exceptione. (*)

Dr. Savaresi fere eadem, quae Pugnet adserit. Aegyptus secundum ejus opinionem est regio maxime detestabilis, — pestis in ea semper adest, et si incolae contrarium adfirment, id effectum esse eorum ignorantiae, et inscitiae. At si Savaresi secunda vice de argumento hoc scribere deberet, convinceretur, ut mihi persuadeo, se judicium suum praecipitasse, et qua judicem, qui studii partium expers esse deberet, multa iniqua de Aegypto dixisse. Etiamsi judicium meum, quod hic de eo tuli, verum esse videtur; tamen eo non obstante, ejus sum amicus, eumque ob cognitionem et talenta ejus sincere aestimo; sed ubi de rei veritate agitur, quae ita gravis esse debet, ut amicitia, haec posterior nequaquam impedire debet ea dicere, quae sentias.

Si quis regionem insalubrem videre vult, petat Mantuam, paludes pontinas, et campum desolatum, qui Romam circumdat, inveniet is numerosos morbos, qui in his locis regnant; et si consideremus, quam rari hi in Aegypto sunt, omnis studii partium expers judex, mecum consentiet in eo, quod si regio haec dominationi regiminis potentis, fortis et illuminati subjecta esset, ea inter pulcherrimas, saluberrimas, et felicissimas regiones totius orbis numerari posset. (**)

(*) Desgenettes, histoire de l'Armée d'Orient. p. 247.

(**) Collection d'opuscules de médécine pratique. p. 13.

QUINTA QUAESTIO.

Quae regiones Aegypti ut plurimum a peste devastantur?

Secundum observationes, quas hac de re institui, affirmare ausim, oram maris mediterranei, et diversas urbes in ea sitas, non esse ita salubres, ac reliqua Aegyptus. Dependetne id a diversis lacubus, qui eas ambiunt, vel a majori humiditate athmosphaerae, et a pluviis, quae hyeme cadunt? Dubium non est, diversas hasce caussas, magnam vim in salubritatem cujuslibet regionis habere; at cum Aegyptus magis sit ventis continuis exposita, quam aliae regiones, procul dubio patietur ea hanc ob caussam etiam modificationes notabiles. Res facti est, pestem frequentius regnare in his urbibus, quam in aliis; sed nequaquam defendere velim, caussam ejus primariam esse insalubritatem loci.

D. Pugnet affirmat frequentiam hanc pestis dependere a humiditate athmosphaerae. Ope hujus simplicis explicationis docere vult, cur pestis anno septimo, in interiorem regionem, et in metropolin non penetraverit, quamvis in eam individua peste adfecta irrepserant. Dum ea e contrario anno nono, praesertim Kairi eruperit, et magnam stragem ediderit; quia tunc, ut existimat, gradus humiditatis, quam exundatio Nili produxerat, multo major fuit, quam in ora maris mediterranei. (*) Obvia quaestio hic est, quomodo auctor veritatem hujus suae adsertionis demonstret; faciatne id ope exactarum observationum barometri, et thermometri? At is nihil adducit, quod ejus opinionem sustentare posset, quin-

(*) In opere allegato.

immo videtur ei sufficere, eam enuntiasse, ut pro vera habeatur. — D. Savaresi quoque credit, humiditatem multum contribuere ad evolutionem pestis in urbibus maritimis; — monet tamen, eam solam non sufficere, simulque requiri, ut Auster flet. Sed omnia haec, ut mihi videtur, nihil sunt, nisi nudae opiniones, quae cognitionem rei de qua agitur ultra non promovent. At argumentum maxime solidum, et maxime evidens a medicis penitus est neglectum, qui si paullulum hac de re meditati fuissent, detexissent, caussas differentiae, quae inter oram maris mediterranei, et reliquam Aegyptum respectu pestis locum habet, dependere a frequenti commercio cum diversis regionibus orientis (Levant). Et potestne se res aliter habere in provincia, ubi nulla cura salutis publicae est, ubi homines nullam idaeam de gravitate administrationis ad salubritatem publicam pertinentis habent? Nec ea ipsa cura, quae tempore invasionis Gallorum in Aegypto locum habuit, et cujus vitia nota erant, introductionem contagionis impedire potuit.

Si constitutio humida caussa esset facilioris evolutionis pestis, deberet ea characterem epidemiarum luculentum habere; quia haec constitutio omni circiter anno aequalis est. Praeter ea ignota deberet esse pestis in Saide, quae regio Aegypti maxime sicca est; sed experientia infelix docet, eam ibidem quoque non esse raram, eamque ita Constantinopoli, ut in Aegypto regnare. Nullus observator hucdum accusavit constitutionem äeris humidam, et Austrum, ut caussas principales generationis pestis. Praeterea monui jam, ejus incessum nullum regulam sequi, et a permultis circumstantiis dependere, quarum hic unicam maxime notatu dignam adferam.

Longe ante adventum exercitus Gallici, pestis se in Bulak (suburbio amplo Kairi, una quarta parte milliaris Gallici ab urbe distante) manifestavit, ibidemque stragem terribilem edidit; nec temen semet in urbem propagavit, quamvis constans et frequens commercium cum eo habuerit. Securitas autem tanta tunc fuit, ut homines, qui consuete ad minimum rumorem de peste, semet in domibus suis recludere solent, hanc praecautionem, ut superfluam neglexerint. Eratne hic in caussa diversa constitutio äeris? eratne äer humidior in suburbio Bulak, et siccior in distantia unius quadrantis milliaris Gallici?

Visa est pestis ex inferiori Aegypto, Saidem migrasse, quin metropolin adtigerit; et Rachmannia ea rarissime afficitur, quamvis inter Alexandriam, Rosettam, et Kairum sita sit. — Salhia in via in Syriam ducente sita, ubi transitus continuus est, minus ab hoc malo patitur, quam alia loca.

Opinio est vulgaris, pestem nunquam transgredi Girgé, metropolin Aegypti superioris; interim pestis interdum ultra Aegyptum superiorem progreditur; nam legitur in descriptione itineris in Aethiopiam, Dr. Poncé (*), pestem tempore ejus Kairi regnasse, et semet non solum in Saidem, sed etiam in regionem Barberinorum propagasse. — Ex his quae hucdum exposui, sequitur, nullam caussam satis explicare, cur pestis magis in una, quam in altera regione compareat, praeter ipsum miasma pestilentiale, quod hic semper primarias partes habet.

(*) Lettres edifiantes. Vol. 2.

SEXTA QUAESTIO.

Quas strages pestis inter incolas Aegypti consuete edit?

Tam peregrinatores, quam ipsi incolae Aegypti adeo terribilem descriptionem pestis, et devastationis, quam ea exercere solet, faciunt, ut si ea vera esset, populus Aegypti jam pridem debuisset esse exterminatus. Prosper Alpinus, quamvis utplurimum exactus in suis relationibus, quas de hac regione conscripsit, nimis tamen id exaggerat, quod populositatem Kairi adtinet. Asserit enim omni aevo in hac metropoli, plures quam duas milliones animarum fuisse. Secundum hunc errorem credit, anno 1580 periisse ex peste in ea quingentena millia hominum, quin mense Junio haec magna hominum jactura observata fuerit. Inter alia supponit is aequalem numerum infantum mortuorum, qui apud Mahomedanos rationibus non inferuntur; ita ut in hac peste, quae per quinque menses duravit, secundum ejus calculum, una millio hominum perire debuisset. Quae igitur de strage pestis dicit, ea originem ducunt, ex relationibus exaggeratis; cum jam in antecessum falsam ideam de magnitudine urbis Kairi, et de numero incolarum ejus conceperit. Nec venia dari potest D. Descaub auctori recentiori (*) qui numerum incolarum hujus urbis duas milliones adtingere dicit, et adserit, si in ea ducentena millia hominum peste pereant, id vix animadverti.

Cum Kairum advenissem, cum quodam horrore audivi diversas relationes de strage, quam pestis in hac urbe edere solet; postquam ex primo stupore

(*) Geographie universelle.

ad me redii, volui notitias ex fontibus purioribus et limpidioribus haurire. Cum apud Turcas indices mortuorum, et annales, ex quibus decursus eventuum cognosci posset, non dentur; imperfectas tantummodo notitias mihi de his procurare potui. Nam in hac regione nulla alia tempore pestis obtineri possunt data, quam si quotidie numerum mortuorum, qui per portas urbis efferuntur, consignes; et cum non absolute intersit rem ex asse nosse, simpliciter relationi eorum, qui portarum urbis custodiam habent, fidem habeas.

Ex quo Galli, domini Aegypti fuere, voluerunt magnitudinem Kairi exacte scire. Hinc mathematici militares aream ejus delinearunt, et invenerunt circuitum ejus tantum tria milliaria Gallica (leucas) habere, quam circiter etiam Lutetiae Parisiorum habent, ducendo nempe lineam per Bulevard. Sed hic notandum, domos Kairi unam, ad summum duas contignationes habere, et in circuitu urbis multa esse fora, hortos, et domos, amplas areas habentes, et multa rudera murorum. Hinc si rem cum ratione aestimes, numerus incolarum ejus non erit major tercentenis millibus animarum. Et cum notum sit Kairum nunquam majus fuisse, quam hodiedum, sequitur inde, id quod de multitudine incolarum ejus, et strage, quam pestis in ea edidit, dictum est, aeque falsum esse. Celebris Volney (*) de ampla hac urbe loquens, de hac veritate etiam persuasus fuit; quemadmodum etiam S. Grobert. (**)

Incolae Aegypti, qui natura sua ad omnia mira-

(*) Voyage en Egypte et Syrie.

(**) Description de la Ville du Kaire, et des pyramides Gizes.

bilia proni, et imaginatione ardente praediti sunt, omnia exaggerant, facile metu corripiuntur, et vel minimo eventui formam giganteam mutuant; hinc observavi, consuetudinem, quae apud eos post mortem cujuspiam locum habet, stupendum effectum producere. Quam primum nempe quispiam moritur, eventus hic toti civitati a numerosis mulieribus annuntiatur, quae continuo terribiles clamores, et ululatus usque ad sepulturam tollunt. Numerus harum praeficarum, quas clamatrices adpellare malim, dependet a facultatibus consanguineorum defuncti; rarum tamen est, ubi pauciores essent, quam decem penes singulam sepulturam. Supponamus interim, centum homines spatio viginti quatuor horarum mori, et in singula domo, vel penes singulam sepulturam tantum decem tales praeficas praesentes esse; tunc summa omnium mille erit, quarum singulae, ut campanae tumultus, per totam urbem diffusae, considerari possunt.

Homines fide digni mihi narrarunt, tempore vehementioris pestis; ululatus hos adeo fuisse intolerabiles, ut praefectus urbis eos interdicere debuerit. Si consideremus sinistrum effectum, quem terribiles hi clamores, in plurimos homines, quamvis opinione de praedestinatione imbutos, habere debent; si perpendamus imaginationem exaltatam, pronam esse ad exaggerandum et augendum id, quod eam aliquantum fortius afficit: facile perspiciemus, unde exaggeratio stragis pestis, adeo communis exoriatur.

Si absque ulla praejudicata opinione, casus maxime verisimiles pestis, in urbe Kairi determinare velimus, recordari nos in primis oportet, epidemiam talem posse esse mitem, mediocrem, vel etiam vehementem. Ceterum cum omnis epidemia decursum

plus minusve rapidum habeat; duratio ejus infinite varia sit; et cum epochae ejus majoris vel minoris mortalitatis etiam varient: hinc tantum calculus verisimilis, singulis diebus duci potest. Supponamus jam pestem mitem, quae per quatuor menses continuat, et assumamus numerum pro dimidio hoc temporis spatio, quotidie octuaginta, et pro altera parte centum et quinquaginta mortuos, summa integra circiter 13300 efficiet. Si pestis mediocrem malignitatem habeat, et si in dimidia parte temporis quatuor mensium, numerus mortuorum quotidie ad centum et quadraginta, et in altera parte ad ducentos quinquaginta adsurgat; tunc erit jactura hominum, vigintiquatuor mille. At si pestis violenta est, potest numerus mortuorum duplum hujus summae superare, et usque ad septuaginta millia ascendere.

Ecce haec sunt, quae cum quadam verisimilitudine de stragibus pestis Kairi dici possunt. Nam impossibile mihi est, exactas relationes de desolatione, quam terribilis hic morbus in populum exercuit, dare; ut hoc fieret, debuissem exactas relationes de universo numero incolarum, et de statu meteorologico coeli, et alia data obtinere, quae in regno, quod patriam incuriae, apathiae, et indolentiae jure nominaveris, mihi procurare, plane impossibile fuit.

SEPTIMA QUAESTIO.

Quae caussae possunt principium pestis contagiosum gignere?

Nulla fere quaestio plures difficultates ad solvendum offert, quam haec, de qua nunc sum acturus. Omnes quicunque hucdum conabantur, qualitercunque argumentum hoc illustrare, nihil nisi hypothe-

ses, et adsertiones nullis rationibus convincentibus munitas, protulerunt. Non imaginor mihi, me id melius facturum, quam mei antecessores; et hinc conabor tantummodo complures observationes, ut fructum mearum meditationum, et disquisitionum hic simpliciter exponere.

Cum in Aegypto adhuc commorarer, existimabam unam et solam rationem, caussas, quae pestis principium contagiosum gignunt, detegendi, esse applicationem chymiae recentioris. Non obstantibus permultis disquisitionibus, quas in hac re in Aegypto feci, nihil tamen mihi spem dedit, detegendi magnum hoc mysterium.

Redux in Galliam, et volens in hiscae meis investigationibus prospero cum successu ultra progredi, non contentus eo, si mihi omnia capita chymiae, quae aliquid luminis adferre possent, familiaria redderem; decrevi etiam viros magis me in chymia versatos, consulere. Praeter ea omnia ea, quae respectu miasmatum contagiosorum, et praesertim pestis noveram, in unum collegi; Examinavi quoque summacum adtentione ea, quae complures auctores recentiores, de hac materia adseruerunt, et quae de morbis, qui cum peste majorem vel minorem adfinitatem habent, dixerunt. Dr. Zulati ex Cephalonia, medicus insignium meritorum, primus lumen hodiernae chymiae ad illustrandum, hoc argumentum in auxilium vocavit. (*)

Post longam et eruditam disquisitionem conatur hic medicus verisimile reddere, azotum multum contribuere ad generationem terribilis hujus miasmatis.

(*) Saggio sopra alcuni Fenomeni della peste. Venezia. 1792.

Sed pro sua modestia is hanc suam opinionem solummodo ut conjecturam proponit, quae ulterioribus observationibus adhuc confirmari deberet.

Mitchel celebris chymicus americanus, etiam opinionem suam, de hoc miasmate protulit. Credit is sic dictum septon ad id formandum multum contribuere. Quamvis veneratione digna sit ejus auctoritas, tamen, quin propter ea temeritatis accuser, id pro mera conjectura declaro. — Inveni etiam eximias observationes, et animadversiones judicii plenas, in operibus Carmichel Smythii (*), et in opere D. Guitonis Morveaux (**), sed eae magis ad febres contagiosas adplicari possunt, et nullum confectarium offerunt, quod cum emolumento, in re, quae objectum hujus disquisitionis est, adplicari possit.

Etiam complures medici Germani multum operae impenderunt, in magis illustrandis febribus contagiosis, quas tribus primis lustris saeculi XIX. observarunt, et quae caussae erant magnae mortalitatis, non solum in diversis Germaniae provinciis, sed in Gallia quoque. Plurimi eorum crediderunt, tantum cognitionem chymiae posse eos tute, in eorum investigationibus ducere, voluerunt que hanc suam opinionem specie quadam felicis therapiae suffulcire. Sed cum dolore confiteri debeo, mihi conamina eorum, utut magni momenti videantur, in meis disquisitionibus originem principii contagiosi adtingentibus, nulli auxilio fuisse.

Doct. Minderer et Reus Moscoviae, duos tractatus de contagione pestis ediderunt, qui cum utilitate

(*) Observationis sur les fievres de prisons, Geneve.

(**) Traité de moyens de desinfecter l'air, trois. edition. Paris, 1805.

legi poterunt, sed neuter eorum quidpiam certi docet, et neuter eorum cognitionem hujus mysteriosi argumenti ultra provexit.

Ego cum voluptate legi sequentia opera:

Josephi Fornes tractatus de peste etc. Barcenonae, 1725.

Adami Chenot tractatus de peste. Vindobonae, 1766.

Johannis Lernet ad propositiones de peste a regia societate scientiarum Varsoviensi prolatas, respondens dissertatio. Cremęneci, 1814.

Traité de la peste, contenant l'historie de celle qu'a-regné a Moscou en 1771 par Charle Mertens, Doct. en medecine etc. a Vienne et Strasbourg 1784.

Quamvis investigationes horum auctorum eruditae sunt, tamen hoc non obstante, quotidie magis perspicio, medicos re ipsa, hucdum non fecisse majores progressus in cognoscenda natura principii typhi contagiosi, et consectaria, quae enuntiarunt, plus minusve inniti conjecturis, et verisimilitudini, atque tanto minus media offere ad exstinguendum typhum contagiosum simplicem. Jam si id quoad typhum non successit, quam verisimilitudinem habemus, nos in peste feliciores futuros?

Opinio in Europa maxime divulgata est, exundationem Nili, exhalationem putridam aquarum stagnantium, et inprimis magnam humiditatem, quae in ora maris mediterranei locum habet, esse caussas nimis frequentes, et evidentes miasmatis pestilentialis. Ipse Prosper Alpinus credit, quod pestis quotannis regnaret, si aquae stagnantes et corruptae semper majori copia adessent. Quamvis laudatissimum hunc auctorem, et eos, qui idem adserunt, venerer, eo non obstante quasdam animadversiones adducere debeo, quae fructus sunt mearum disquisitionum et

observationum, summacum diligentia, per quatuor annos, quibus in Aegypto habitabam, collectarum.

Certum est, opinionem eorum verisimilitudinem haud dubiam pro se habere, si consideremus in omnibus omnino regionibus calidis, humidis, et paludosis consuete morbos regnare, qui ob suum characterem, evolutionem, et ingressum rapidum, quandoque nimis lethales sunt. Sed interrogare hic ausim, an non in iisdem regionibus, etiam plures aliae caussae occurrant, quae potenter ad generationem eorundem morborum multum contribuere possint, exempli gratia, intensus calor, sudores copiosi, intemperantia tam in rebus physicis, quam moralibus, extrema miseria, et interdum defectus omnium rerum ad vitam sustentandam maxime essentialium? Nonne hae, et similes caussae, morbos graves, et saepe epidemicos potenter disseminare possunt?

Notum est, aquas paludum, aut tantummodo hydrogenium purum, aut hydrogenium sulphurosum, aut hydrogenium cum phosphoro et azoto conjunctum exhalare; et experientia docet, diversas conjunctiones horum gazium (sit venia verbo), febres maligni characteris excitare posse: sed nulla circumstantia probat, eas principium pestis contagiosum generare posse. — Si exhalatio aquarum stagnantium, pro caussa primaria pestis haberi deberet, sequeretur inde, quod morbus hic terribilis omnes illas regiones necessario adfligeret, ubi aequalis circiter gradus caloris, iisdem ex caussis reperitur; interim innumera facta contrarium ostendunt; — praeterea si exhalationes aquarum stagnantium, ad generandum principium hoc mortiferum concurrerent, sequeretur inde, ut opinor, athmosphaeram esse ejus receptaculum, et vehiculum. At omnino notum est, rem

non ita se habere, et miasma pestiferum, tantummodo per contactum communicari. Argumentum adhuc magis stringens, quod observatori adtento semet offert, est, Nilum incipere decrescere mense Septembri et Decembri, omnes aquas exundatione diffusas, penitus disparere. Exinde ut mihi videtur, sequitur, quod si admitteremus putredinem aquarum stagnantium, principium pestis gignere posse, ea se in primis mense Octobri, Novembri et Decembri manifestare deberet; at experientia docet, hunc morbum perraro, ultimis hisce mensibus se manifestare, quod jam alibi adnotavi. Physica effluviorum, ut D. Guessant (*) monet, non obstantibus operibus Boylii, usque ad auctorem chymiae atomisticae, adhuc in incunabulis, vel plane in Chaote jacet.

Denique memoria repetere oportet, in nulla regione orbis Aquilonem et Caurum frequentius flare, quam in Aegypto; – porro evaporationem aquarum rapidissime fieri, ob ventos et calorem; coelum semper illic serenum esse, et hinc non dari regionem, ubi plura remedia reperirentur, ad dissipandas et innoxias reddendas evaporationes aquarum; – de qua regione permulti homines monstrosam ideam habent, ac si ea vera cloāca esset. Ideoque justas et firmas rationes habeo, ad negandum, aquas stagnantes, et putredinem, esse fontem primarium, ex quo tanta mala in Aegypto oriantur. —

Complures peregrinatores crediderunt, se Kairi invenisse gravem caussam pestis, in circumstantiis localibus hujus vastae urbis. Est nempe in ea canabis (el Kalik), qui ab una parte urbis ad aliam, per eam mediam transit, et qui destinatus est, ad aquas

---

(*) Dicionnaire des sciences medicales. Vol. IX. p. 458.

Nili per campos tunc temporis, ubi eae maxima elevatae sunt, diffundendas. Quamprimum aqua Nili conspicue diminui incipit, nec is amplius eam in canalem hunc infundit, aqua in canali residua, stagnat, et facile putrescit; et id tanto magis fit, cum in eum omnis generis quisquiliae injiciantur; atque is in toto suo decursu ita domibus reclusus sit, ut nullus ventus in eum agere possit.

Adsuetus nudis verbis aliorum fidem non habere; et cum praeter ea per plures menses prope hunc canalem habitassem, ipse me mea propria observatione, et simul testimoniis aliorum de eo convincere potui, quod quam primum aquae stagnare incipiunt, statim etiam foetorem exhalant, qui sensim augetur, et consuete eum gradum adtingit, ut plurimi incolae, qui prope hunc canalem habitant, omnimodo se ad anteriorem domus suae partem transferre studeant. Circa hoc tempus observantur ibidem persaepe febres acutae, et interdum etiam petechiales; intereadum hi morbi in aliis partibus urbis aut perrari sunt, aut planae nulli occurrunt. His observationibus permotus, investigavi, an aliqua ratio opinioni ei subesset, pestem initium capere posse in domibus ad canalem sitis; aut si ea quacunque ex caussa oriatur, an ea ibidem majores strages edat, quam in aliis urbis partibus, magis a canali hocce remotis; et an semet ab eadem, illic loci homines tutari possint, ut alibi, tutamentis ab Europaeis in Aegypto omnino usitatis? —

Permulta testimonia me de eo certum reddiderunt, nullum indicium adesse, quod hicce morbus se in primis in domibus ad canalem sitis manifestet, ibidemque majores strages edat, quam alibi locorum; et homines se ibidem ab eo ita immunes red-

dere posse, ut in aliis locis. Attamen cum certum sit, ad canalem facilius morbos contrahi, suaderem, ut alter locus eligeretur, ad moram quadraginta dierum (vulgo quarantena) observandam; et id tanto magis, cum in tali loco homines etiam per plures menses inclusi manere debeant.

Postquam exercitus Gallicus Aegyptum armis occupasset, supremus dux copiarum Bonaparte adtentionem suam in omnia media convertit, quae morbos cohibere possent. Hoc scopo constituit magistratum salubritatis publicae, qui Kairi residebat, et cujus membrum ego quoque fui. Proposueram tunc, ut aqua ex hoc canali quovis anno evacuaretur, sed id nequaquam pestem funestam impedivit, quae anno nono, in ampla hac urbe seviebat. – Enormis numerus sepulcretorum, quae fere totam urbem Kairi circumdant, — et consuetudo familiarum, sua propria, sat male aedificata sepulcreta habendi, quae saepe aperiuntur, nec semper diligenter clauduntur, videntur pluribus medicis, una e praecipuis caussis esse, quae ad generandum miasma pestilentiale concurrunt. Experientia sufficienter jam docuit, coemeteria in vicinia urbium erecta, sanitati esse noxia, et morbis periculosis occasionem dare. Sed nihil opinionem eorum suffulcit, qui contendunt, principium contagiosum re ipsa in his locis gigni.

Adscribebant praeterea nonnulli originem pestis magnae impuritati, — habitationibus angustis, humiditati athmosphaerae, Austro, et aliis adhuc caussis, quas summacum assiduitate continuo examinavi; sed omnes hae adsertiones audaces, nequaquam sufficiunt ad exacte explicandam generationem hujus miasmatis; nisi meris verbis, ut hucusque factum, fidem habeas.

Quamvis opiniones adlatas, ut insufficientes rejeci, negare tamen non possum, circumstantias, quas adtingunt, interdum sanitatem laedere, et morbis gravibus, tam sporadicis, quam epidémicis ansam dare. Sed a vero alienum esset, si crederes pestem his caussis, directe originem suam debere; nam inde sequeretur, eam omni anno, ubi hae caussae renovantur, renasci debere. At jam in antecedentibus adnotavi, fuisse longas epochas, in quibus Aegyptus ita a peste libera fuit, ut quaecunque alia urbs in Europa.

Si miasma pestis non est effectus communium caussarum insalubritatis, ut vulgo credunt, oportet alias quaerere, quae in primis generationi hujus principii mortiferi favent. Plures considerationes me ad credendum permoverunt, ejus unicum ac genuinum fontem in ipso homine esse quaerendum. Opinio haec jam a longiori inde tempore, a pluribus magni nominis medicis prolata, ut existimo sola, – maximam adtentionem meretur. Ut adsertionem hanc, in quantum fieri potest, evidentem reddam, praemittere debeo, febrem nosocomialem, – febrem carcerum, nihil nisi diminutivum, vel si mavis, pestem in forma minuta esse; et principium hujus morbi, aeque productum corporis vivi esse.

Innumera argumenta hanc meam opinionem demonstrant. — Experientia docet, nihil aptius esse ad generandum principium, letiferum, et magis absconditum, quam homo vivens. Anglia offert exempla horrendae contagionis, quae inter homines coacervatos, et simul in angusto carcere inclusos, generata fuit.

Quis medicorum ignorat historiam terribilem, quae Oxonii anno 1577 accidit, ubi contagio a capti-

vis accummulatis ortum ducens, plures quam tercentenos homines, atque inter hos judices, et auditores necavit. Similia circiter exempla Tuloni 1730, et Plymuthi 1742 occurrerunt, ubi post longum examen maleficorum in loco angusto, morbus letiferus exortus est, qui pesti simillimus fuit. (*) Omnia haec me ad credendum inducunt, principium contagiosum tantummodo ex febre maligni characteris derivari debere; et aeque verisimile mihi videtur, diversis pestibus in Europa observatis, quorum contagium non ex alia longinqua regione adlatum erat, febres maligni characteris antecessisse, quas medici aut non attente observarunt, aut tantum simpliciter affirmarunt, — pestem ut sequelam talis atque talis caussae — exortam esse.

Cum Carthaginenses sub duce Hamilcare Syracusas obsiderent, jussit is omnia sepulcra, quae circa urbem erant, demoliri; unde pestis summà aestate se manifestavit, et strages incredibiles edidit. Contagio primum apud Afros incepit. Hanc pestem concomitabantur symptomata extraordinaria, ut, terribilis dysenteria, febres vehementissimae, tormina, dolores acuti in toto corpore, phrenitis et furor, ita ut aegroti, – homines sibi obvios, adorirentur, eosque conciderent. (**) Ante paucos annos Palmae novae, cum in munitione ejus laborassent, unum coemeteriam demoliri debuit; exinde epidemia horribilis exorta est, quae in primis inter operarios grassabatur; at ea pestis non erat. Intime persuasus sum, requiri typhum contagiosum, et adhuc plures alias circumstantias, ut vera pestis oriatur. Objici mihi

(*) Zimmermann von der Erfahrung.

(**) Rollin histoire ancienne. Vol. I. p. 267.

hic posset; quod si res sic se haberet, possibilitas generandae pestis pariter in Europa, ac in Aegypto existeret, quod tamen contrarium experientiae sit! Facile ad hanc objectionem responderi potest. Primum quidem magna est differentia inter cultum Europaeorum, et populorum orientalium. Priores — institutiones, religio, doctrina moralis, sana ratio, et observatio regunt; et quilibet eorum debito ordini invigilat, atque studet morbo epidemico mederi, — succurrendo aegrotis, transferendo eos ex habitationibus saepe angustis et insalubribus, et adhibendo omnia artis remedia ad eos sanandos. His accedunt curae paternae regiminis ad exstinguendum morbum, qui sibi relictus, sequelas incolis unius urbis, immo toti provinciae perniciosas, post se trahere posset. — Apud populos autem orientales, regimen non curat sortem civium suorum, quorum millia perire videt, quin aliud dicat, quam: haec est voluntas Dei. Extrema ignorantia, summa indolentia, superstitio, paupertas, coacervatio hominum in parvis tuguriis, — totidem sunt mali hujus caussae, ut non sit mirum, si quispiam morbus epidemicus, quamvis in se parum periculosus, ob defectum curationis, brevi characterem evidenter malignum adipiscatur. — Homines miseri, semper in vilissimis tuguriis inclusi vivunt, in quibus, sicuti in carceribus, venenum plus minusve activum generant. — Praeterea visae sunt interdum epizootiae, quorum sequelas equidem determinare non ausim; sed cum alibi viderim, homines qui carnes animalium aegrotorum comederant, a febre gravi, cum anthracibus in diversis partibus corporis, correptos fuisse, suspicari licet, tales morbos sub quibusdam circumstantiis, ad generationem principii pestis contagiosi, multum contribuere posse.

Idem dixerim de variolis malignis, quae persaepe in Aegypto regnant, et semper magnum numerum hominum necant. Porro adhuc alia, in Aegypto non rara circumstantia attentionem nostram meretur nempe fames. Quis medicorum ignorat, terribiles effectus talis publicae calamitatis in sanitatem populorum. An non habent morbi, qui ex ea nascuntur, evidenter characterem malignum? Si historiam pestium examinemus, quae in Italia saeculo decimo octavo, aerae vulgaris, locum habebant, inveniemus, famem eis saepe antecessisse. (*)

Defectus exundationis Nili, non unica caussa est frequentis famis, quae Aegyptum saepius affligit; existit adhuc alia eaque potentior, et magis horribilis caussa, quae etiam epidemias mortiferas excitat, nempe locustae, quae ex interiori Africa tanto numero veniunt, ut coelum obnubilent.

Narrat historia sacra Deum, ut superbiam Pharaonis regis Aegypti domaret, ei per Moysen nuntiari jussisse, regnum ejus per locustas devastatum iri (**), quae intra breve tempus omnia vegetabilia devorant. Haec devastatio non est una, ac sola calamitas, quam locustae inducunt, eae adhuc aliae majoris — caussa sunt. Occasionem habui in Apulia anno 1810 me hac de re plane convincendi. Immensa nempe multitudo horum animalium abominabilium, in regione, quam devastarunt, perit, - putrida infectione athmosphaeram implet, quae dein occasionem

(*) Annali di Anton. Muratori.

(**) Extendit Moyses manum suam super terram Aegypti, et Dominus induxit ventum tota die, nocte, et mane facto, ventus urens levavit locustas, quae adscenderunt super universam terram Aegypti.

dat origini febrium malignarum diversarum. Locustae, quae magnopere pulchram hanc regionem devastant, interdum per plures annos sibi subsequentes renascuntur; quod regem Neapolitanum permovit ad tentanda omnia remedia, quae eorum multiplicationem impedirent, coëgitque incolas, ad exquirenda locustarum ovula, ac iis praemia decrevit, pro numero ovulorum, quae effoderent. Sed Apulia non est sola et unica provincia Italiae, ubi adversus voracia haec insecta pugnandum. Anno 1711 de repente viderunt Piombini eorum immensam multitudinem advolantem, quorum densitas nubem formabat.

Plinius ita se de iis exprimit: Tanto volant pennarum stridore, ut aliae alites credantur, solemque obumbrant, sollicite spectantibus populis, ne suas operiant terras.

Anno 1814 innumera multitudo locustarum Galliam infestavit, quae tandem in mari Britannico suffocatae sunt; hae ad oram Galliae rejectae, ob foetorem ingentem morbis letiferis occasionem dederunt. In mea peregrinatione in Aegypto superiori, habui occasionem per aliquot horas observandi transitum horum infectorum, quae coelum obumbrarunt; felici fato tamen accidit, quod hi ingrati peregrinatores, ibidem non subsederint.

Hinc exercitus locustarum in hac regione, potest ut duplex plaga, duplicis mali caussa considerari; nempe famis et morborum. At quod felix, calamitas haec rarius hanc regionem ferit, et insectum hoc devastans, non ita se hic multiplicat, ut in Africa interiori, vel in Apulia.

Ut ostendam, quales devastationes haec infecta

facere soleant, transscribam hic locum sequentem. »Nell' Egitto furono cosi avide, et distruggitrici, che divorarono tutta l'erba, e tutti i frutti, ai quali aveva perdonato la grandine, e niente vi rimase di verde. Ed il profeta Gioele dopo aver chiamato i vecchi ad ascoltare, accioché dicessero, se giammai avevano veduto, o udito raccontare una cosi stupenda desolazione, e ordinato loro, che di essa ne facessero consapevoli i loro figliuoli, ed i figliuoli de'figliuoli loro, acciocche sempre fresca ne rimanesse la ricordanza, passa dipoi a descrivere gli avvenimenti funesti di questo atroce castigo, e tosto dice che erano confusi gli agricoltori, perché languiva la terra spogliata affato dell' erbe, delle biade, e del grano, ed era per ita tutta la messe, che si querelavano i vigniaioli perché erano perdute le vite; che mancavano gli ulivi, e i fichi erano scortecciati, e renduti bianchi i loro rami, e che le melagrane, le palme, e le mele, e tutti i frutti erano guasti, e consumati; e giugne a tali il racconto dell' acerba disaventura, che invita fino a piangere sopra di essa i sacerdoti, e i ministri dell' altare, perchè era mancato il sacrificio, e l' ilbazione dalla casa del signore: Iquali essendo soliti d'offerirli, uno col fior di farina, l'altro col vino, tanta e si gravè era stata la rovina, che non vi era rimasto modo di potere offerire a Dio gli usati olocausti.

Fino a questo grado si spaventevole, e tremendo, giugne la voracità insaziabile delle Cavallette, colla quale portano la fame sopra la terra; ma ne pure ha termine qui la loro rabbia, poichè talvolta facenda guerra ancora dopo che son morte, arrecano la pestilenza, la quale, come gia si è detto, cogionano coll' orribil fetore, che tramanda la multiplicità

grandissima de'loro corpi, allora quando son morti. Così narra il sopracitato S. Girolamo che vide egli succedere nella Giudea, dove dal cattivo odore, esalato da cadaveri di questi perfidi animali che affogati nel mare, erano stati ributtati al lido, venne una gravissima peste avanti nel tempo, che erano Consoli di Roma Marco Plauzio Ipseo, e Marco Fulvio Flacco, che fu l'anno di Roma 629, le numerosissime squadre delle Cavalette, essendo state portate da un vento impetuoso nel mare d'Affrica, tornate poscia morte sulla spiaggia, la massa putrefatta di esse, tali mortiferi vapori tramandò che nella Numidia la peste miserabilmente ottocento mila uomini uccise, e più di ducento mila intorno alla marina di Cartagine, e in Utica trenta mila soldati Romani, che erano stati mandati alla custodia dell Affrica. E così appunto avvenne nell' anno 1542 alla Germania, alla Francia, e alla Polonia, dove dopo aver le locuste cagionata la carestia, la peste nata del fetore de' loro corpi morti, una quantita grandissima d'uomini fece morire. Quindiniuno si del maravigliare, che le Cavalette, che così gravi mali cagionano a i mortali, sieno chiamate fortezza e virtù grande, poichè siccome nelle piaghe, che affliffero gli Egiziani per mezzo di piccoli animali apparve la forza divina, così in questo piccolo, e debole vermicciuolo, che appena si puoté muovere, e con un leggier tocco si disfà, la potenza di Dio, e la fralezza umana apertamente si dimostra. Perciò essendo riconosciuto per instrumento speciale di cui si serve il supremo, ed universale Monarca. Iddio per punire i miscredenti, e far palese la sua grandezza, sovente si trova fatta menzione di esse con espressioni di maraviglia, e con nomi dinotanti quanto sia terribile questo flagel-

lo.« Rilazioni delle Diligenze usate nell' anno 1717 per distruggere le Cavalette. C. I. p. 10. In Firenze, 1716.

Allegata, et simul refutata est opinio eorum, qui credunt caussam pestis esse quaedam insecta, quae tamen hucdum nullus mortalium vidit. At haec opinio non est fortassis adeo falsa, ut in genere existimant, si consideremus, dari animalcula vix visibilia ut exempli gratia rotatoria sunt, adhuc duabus seriebus infinite minora.

An non risui exposuerunt vaccinam? Quot ridiculosae picturae Parisiis in vallo (Boulevard) anno 1801, expositae fuerunt? Persuasio de utilitate hujus inventionis gravis, hodiedum in toto orbe est propagata. Doct. Sacco Mediolanensis observavit in materia Vaccinae quaedam animalcula. An non derelictus est error, vi cujus per saecula scabiem pro morbo cutis, cujus caussa virus contagiosum esset, habebant? — Hodie de eo certi sumus, morbum hunc originem suam acaro exulceranti debere. — Kircherus, ut notum est, affirmavit, pestem originem suam ab animalculis petere. Valisnerio opinio haec verisimilis videbatur. — Certum est in spermate animalcula adesse. Hinc non plane rejicienda opinio Kircheri, pro qua adhuc alia argumenta adduci possent; et hanc ob caussam non est negligendus usus externus mercurii et sulphuris in hoc morbo, quae remedia, ut venena insectorum humanorum considerari possunt.

Omnia adtuli, qua de tam mysterioso argumento dici poterant. Nescio an veniam, et plausum lectoris exspectare potero; ea quae certa sunt, scopo practico ex observatione hausta adduxi. Ceterum malo ignorantiam meam confiteri, quam theoriam

publicare, quam inanem esse, facile demonstrari possit.

OCTAVA QUAESTIO.

Quaenam individua facillime a peste corripiuntur?

Prima eaque tristis observatio Aegypti incolas adtingens, est, pestem in genere, nulli aetati, nulli sexui, nulli constitutioni corporis parcere. Longa experientia docuit, facilius ab hoc morbo corripi peregrinos, quam indigenas, eum majores strages semper edidisse inter Mameluccos, qui fere omnes ex individuis Georgianis, Circassiis, Abessynis etc. constant; ita se res etiam apud Aethiopes viros et foeminas, recenter Kairum advenientes habet. Mille quoque occasiones observandi habui, Gallos majorem facilitatem pestem contrahendi habuisse, quam Turcas. In genere tamen ii, qui in nulla re intemperantes fuerant, rarius ab ea corripiebantur; et e contrario, contagium se celerrime manifestavit, apud potatores, et eos, qui ventri nimis litarunt, sicut etiam apud omnes luxuriosos. Vidi virum quendam, qui post vehementem aequitationem plurium horarum, subito a peste fuit correptus; alter, qui in saltu nimis incaluerat, altera die peste fuit adfectus; tertius idem fatum habuit, postquam ex arbore decidisset. — Existimavi me haec facta hic adducere debere, ut ostendam, oportere maxime moderatam vitam ducere, dum pestis in Aegypto viget. — Inter alia constanter observavi, fabros ferrarios, et pistores Gallicos facilius, quam alios, ab hoc morbo fuisse correptos. Diembroeck, et alii idem observarunt.

Cum ab antiquo inde tempore observarint, miasma pestis non omnia individua aequaliter adgredi; multi medici nimis generaliter crediderunt, caussam praedispontem debere antecedere, ut infectio pestis locum habeat. Equidem affirmare non possum eos in hac sua conjectura errasse, at erraruntcerte, in modo rem explicandi. Celeberrimus van Switen supposuit, debere quandam mutationem in massa humorum corporis fieri, quae quaedam individua ad miasma suscipiendum magis apta reddat; etiam plures alii medici ejusdem opinionis sunt, quam tamen ego pro periculosa hypothesi habeo, quia ea ad negligendam observationem, solam et unicam magistram, disponit. Cur supponamus qualitatem occultam humorum, cum omni passu experientia nos doceat, omnes caussas systema organismi magis debilitantes, homines inprimis capaces reddere, ad contagionem suscipiendam. Jam Celeb. Dimerbroeck, graviter adnotavit inter omnes quos viderat, mulieres citissime a peste fuisse correptas. Hac ex caussas duo conjuges tertia die post nuptias fuerant sepulti. Dr. Valli observat, Graecos Smyrnae facilius victimas hujus morbi fieri, quam Turcas; — et majorem illorum capacitatem suscipiendi contagionem, tribuit eorum frequentibus jejuniis, abusui spiritus vini, et debilitatae corporis constitutioni.

Si consideremus habitum corporis militum Gallicorum, tempore eorum adventus in Aegypto, jam fuisse immutatum, per expeditiones aerumnosas in Europa, per morbos, et sequelas longae navigationis; si perpendamus eosdem coactos fuisse ad itinera, viribus intensis, sole ardente, de die calore vrente, noctu frigore accedente, suscipienda; si perpendamus eos, coelum ab eo, cui adsueti erant, longe diver-

sum mutasse, omni generi intemperantiae, et in primis usui noxio spiritus vini nimium indulsisse: facile perspiciemus, cur miasma pestilentiale facilius copias Gallicas adfecerit, et e contrario indigenas, quorum temperantia omnino nota est, intactos reliquerit. Nonnulli crediderunt, pestem tantum inter Gallos regnasse, qui in nullo commercio cum Turcis fuerant. Ego auten in contrarium persuasus sum, eos ubique cum Turcis mixtos fuisse, quod ex iis elucet, quae in antecedentibus dixi.

Praeter hanc nimiam capacitatem peregrinorum pestem suscipienti, quaeri adhuc potest, an mitius miasma, quod Gallum inficit, sufficiat ad inficiendum Aegyptium? Ego id in dubium voco et quidem ob sequentes rationes. Anno septimo et octavo pestis inter Gallos exiguam stragem fecerat, quia non nimis contagiosa fuit; et mortalitas inter Turcas quoque minor erat.

Anno nono e contrario, pro ratione datorum, mortalitas inter Turcas et Gallos aequalis fere fuit, cum miasma tunc magis activum fuerit.

Constanter observavi, ubi in nosocomiis typhus contagiosus dominatur, novos ministros infirmorum facilius pestem contrahere, quam veteres; idem circa juvenes medicos, chirurgos et pharmaceutas observavi. Si considerem vespillones, qui peste mortuos sepeliunt, et ministros qui peste adfectis inserviunt, vix unquam morbum contrahere; inducor ad credendum, constitutionem eorum corporis adeo esse impressioni contagii adsuetam, ut id nullum effectum in eos amplius habeat. Vidi Kairi chirurgum Turcicum, et alterum Rosettae, quorum uterque Gallis peste laborantibus, per longius tempus venam incidebat, quin unquam morbum hunc contraxerit. — In nosoco-

mio Alexandriae anno nono, duos habui ministros aegrotorum, quorum alter per sex, alter per novem menses aegrotis ministrabat, quin vel minimum aegrotaverint. In hoc eodem nosocomio vidi vespillones, qui vestes aegrorum pridie ex peste mortuorum induerunt.

Quot res miras et incomprehensibiles, in similibus calamitatibus observare licet, quas vel doctissimi, et amplissimae experientiae viri, vix sufficienter explicare poterunt.

NONA QUAESTIO.

Quomodo agit principium contagiosum, in corpus humanum?

Ex omnibus iis, quae in antecedentibus, de origine principii contagiosi exposui, evidenter elucet, circa hoc objectum summam adhuc esse obscuritatem; et id, quod de eo scire credimus, plus minusve ad verisimilitudinem, et nudas conjecturas reduci posse. Hoc posito, facile perspici potest, difficilem mihi fore explicationem, quae sufficiat, quomodo miasma pestilentiale in organismum hominis agat? Interim nolui quaestionem hanc magni momenti declinare, et eam plane intactam relinquere. Hinc tentabo minimum aliquas conjecturas huc pertinentes, et nonnullas observationes momentosas adferre, quae simul sumtae, fortassis me propiorem cuipiam solidiori fundamento reddent, quod requireretur, ad stabiliendam methodum curationis, magis factis, quam hypothesibus superstructam.

Omnia phoenomena, quae apud homines peste adfectos, observavi, docent, principium quoddam

summe nocivum, modo inobservabili, in organismum penetrare; de qua tamen insinuatione, absolute nihil scio, et aeque tempus ignoro, per quot miasma in organismum penetrans, in eo quiescit. — Consuete ejus praesentia in corpore tantummodo tunc cognoscitur, ubi id jam agere incipit. Quod ad ipsam actionem miasmatis adtinet, medici temporum priorum, nimis generaliter crediderunt, id rapidam putredinem in tota massa humorum, praesertim autem in massa sanguinis excitare. Ego penitus opinioni Valli, Millmanni, et Vaccae adsentior, qui monent, quod si humores, in morbis, quos putridos adpellant, et in peste, ita immutati essent, ut adseritur, infelices hos aegrotos sanare impossibile esset; si consideremus actionem remediorum antisepticorum, eorum quantitatem, et tempus quod requiritur, usquedum sufficiens quantitas in massam humorum transire possit, evidens est, quod secundum hanc hypothesin nihil inde sperari posset; et tamen peste affecti persaepe celeriter ex ea convaluerunt. Si humores adeo fuissent immutati, ut supponunt, hae sanationes explicari non possent. Alii voluerunt haec phoenomena, ex actione stimulorum in excitabilitatem explicare, sed haec quoque opinio est arbitraria, ut antecedens. — Tandem quidam medicorum credebant, magnum hocce mysterium posse per autopsiam, et investigationem cadaverum detegi. Sed quaecunque opera fit, quam in id impenderunt, tamen nihil hucdum detectum est, quod objectum hoc magis illustraret. Immo argumenta habeo, quae mihi verisimile faciunt, investigationes cadaverum, nunquam hoc scopo exacte factas fuisse.

Non sufficit, ut existimo, si tantum viscera abdominis, cavi pectoris, et capitis examinentur; sed

oportet etiam systema nervosum, in majoribus ejus ramis, et in primis spinam dorsalem investigare. Celebris anatomus Soemeringius mihi narravit, se in aliquot individuis, ex typho contagioso mortuis, majores ramos nervorum, nimis fuscos invenisse.

Profess. Reil (*) hac de re sic se exprimit: »Ex cadavere hominis typho peremti, qui eminente nervorum passione stipatus erat, nervos excidebam sanguinolentos, eosque corrodebam acido nitri, sed pro colore flavo-fusco, sordidum obtinebam quoniam sanguis intimam medullam penetraverat eamque suo colore infecerat.«

Plura alia testimonia, omni consideratione digna me ad credendum inducunt, inflammationem gangraenosam, quae nonnunquam nervos in typho occupat, non sufficienter hucdum fuisse examinatam. Cum investigatio peste defunctorum penitus hucdum neglecta fuerit, optandum esset, ut in futurum medici ad hanc rem magis adtenti essent, et diligenter systema arteriosum et nervosum examinarent.

Si ea consideremus, quae in homine peste adfecto, eveniunt, negare non possumus, principium contagiosum mox celerius, mox tardius multiplicari. Actio ejus videtur in primis vim vitalem adgredi. Hanc opinionem sequentes observationes suffulciunt. Musculi animalium miasmati gangraenae expositi, non amplius ad actionem galvanismi (ut Sue adfirmat (*) contrahuntur; interim contractio locum habet, in musculis animalium, quae actioni diversarum specie-

---

(*) In exercitationib. anatom. de structura nerv. etc. p. 20.

(**) Sue l'histoire du Galvanisme. Vol. I. p. 23. 24.

rum gazium, et diversis venenis expositi erant. Unde sequitur miasma putridum magis letaliter principium irritabilitatis afficere, quam venena, et species gazis. Praeterea experimenta Galvanica docent, animalia, in quibus ea instituta fuere, et quorum vires per id exhaustae sunt, citius in putredinem abire, quam alia. Hoc novum argumentum est, irritabilitatem in multis febribus, et praesertim in peste, vel nimis immutari, vel imminui.

Major vel minor celeritas mortis in peste, dependere videtur a majori vel minori multiplicatione contagii pestiferi in organismo; inde simul intelligi potest, cur pestis semper pro morbo mortifero habita fuerit; contra quem ars medica, tantum exiguum successum est habitura. — Multiplicatio haec principii contagiosi medicum excitare debet, ad quaerenda remedia, quae hanc multiplicationem, et ejus effectus terribiles cöercere possent. Sed potestne haec multiplicatio cöerceri? Antequam ad quaestionem hanc magni momenti respondeamus, observare oportet, medicos omnis aevi operam dedisse, ut miasma hoc mortiferum ex corpore eliminarent; inde illa multitudo remediorum alexipharmacorum dilaudatorum, quae tamen nunquam salutaria fuere; inde continuum illud conamen, pestem ope remediorum vomitoriorum eliminandi, quae nullum salutarem effectum habuerunt.

Experientia nec huic opinioni, nec his remediis favet. Ego intime persuasus sum medicos magis ad id adtentos esse debere, ut principium ipsum contagionis exstinguant, quam ut contra symptomata bellum gerant. Non est hic locus disquerendi, in quantum id obtineri possit; at hac de re in capite de therapia, uberius loquar.

DECIMA QUAESTIO.

Quaenam sunt signa diagnostica pestis?

Quamvis pestis Aegypti characterem evidentem habeat, et se ita conspicuam reddat, ut etiam homines artis medicae ignari, eam facile agnoscant: tamen ea non raro, in primis sub initium epidemiae, signa nimis dubia offért; unde verisimiliter opinio exorta est, oportere hunc morbum diu observasse, si eum agnoscere, et ejus varias formas statim dignoscere velis! Quoties medici celeberrimi, in diagnosi hujus morbi errarunt? – Professores Montis – Pessulani, qui anno 1720 Massiliam missi fuere, affirmarunt, morbum letiferum, qui semet ibidem manifestaverat, non esse pestem. Simile quid accidit Venetiis anno 1576. Vocatus nempe illuc fuit celebris tunc Mercurialis, et Capodivacca; hi contra opinionem medicorum Venetorum judicium tulerunt, morbum illic regnantem, non esse pestem; sed cum morbus hic confirmaretur, hi duo Professores fuga se salvarunt, ne a plebe trucidarentur. Possem adhuc plura similia exempla adferre, sed ea silentio praetereo, ne nimis prolixus in hac materia sim.

Persaepe observavi, pestem in sua evolutione simillimam esse febri nervosae acutae, — typho contagioso nosocomiorum, carcerum etc.; atque tunc nulli adhuc bubones aut carbunculi prorumpunt; et hinc medicus incertus haeret, quoad genuinam indolem hujus morbi, sed quamprimum ei notum est, metum pestis in Aegypto adesse, et complures homines ex vehementi impetu febris, primis 24, vel 48 horis mori, pestem metuendam habet. Consuete autem status hic incertus non diu durat; brevi enim

plures bubones sub axillis, vel in inguinibus, rarius in parotidibus comparent.

In genere observavi, permultos peste adfectos, offerre tumores glandularum inguinalium, qui mox ob solum eorum colorem, majus vel minus intense rubentem, cum dolore conjunctum, mox ob solam prominentiam, absque tegumentorum mutatione, in oculos incidunt. Bubo semel formatus, consuete magis oblongus, quam latus est, et tribus pollicibus inferius ac inguen jacet. Sed occurrerunt mihi etiam peste adfecti, apud quos nullus tumor glandularum conspiciebatur. In tali casu jussi chirurgum has partes investigare, et interdum detegebatur glandulas esse adfectas; in aliis casibus credidi me bubonem incipientem observare, ubi nullus aderat; error hic inde oritur, quod apud nonnulla individua robusta, musculus sartorius, in vicinia inguinis prominentiam faciat, quam tumorem pestilentialem esse crederes. Ubi mihi simile quid post ea occurrit, jussi aegrotum e lecto surgere, et si is surgere non poterat, versus anteriora corpus incurvare, ad relaxandos musculos, et hocce dubium tollendum.

Permulta exempla me docuerunt, essentiale in primis esse, ut medicus tempore pestis, iis diffidat, quae aegroti narrant; nam hi ob varia emolumenta, morbum quem timent, celare student. Vidi aegrotos, qui contenderunt, bubonem suum, nihil nisi effectum intensionis corporis esse; alii mihi persuadere studebant, tumorem glandularum, quem habebant, esse depositum morbi antecedentis; — alii denique dixere, bubonem quem haberent, esse effectum infectionis syphyliticae. Et re ipsa observavi nonnunquam perdifficile esse, bubonem venereum a pestilentiali distinguere, praesertim si in cole nullum indi-

cium cancri venerei, aut medorrhoeam observes. Sed quotiescunque notum est, pestem in quapiam regione existere, aut individuum, de quo quaestio est, alicunde venire, ubi pestis grassatur, fere semper morbum hunc autumare potes. Ceterum eruptio bubonis pestilentialis nimis est inconstans; modo enim ea, ut signum praecurrens; modo tempore ipsius invasionis febris, et alia vice tantum tertia, quarta, aut quinta die post insultum febris comparet; interdum aegrotus moritur, antequam bubo compareat; alia occasione bubo et mors, in eodem temporis momento locum habent. Vidi plures aegrotos, qui ante meridiem absque bubonibus erant, et apud quos altera die praegrandes comparuerunt, et simul mors sequebatur. — Rapida eruptio bubonum majus periculum indicat, quam si sensim fiat. — Etiam dolores possunt medicum pro momento temporis perturbare, cujus rei nonnulla exempla adferre debeo, ad adtentum reddendum medicum, ut is nimis circumspectus sit, antequam judicium definitum de eo ferat, an pestis adsit, an vero non? Vidi Kairi formosam mulierem Gallicam, quae vehementi metu exagitabatur, se hoc morbo adfectam esse, quia sub ejus axillis sat magnus furunculus comparuerat. Considerans, nos in media aestate esse, — hoc anni tempore nunquam pestem regnare, et eruptioni huic nullum aliud malum antecessisse, vel eam sequutum esse: animum ejus tranquillavi, et tandem omnem ejus timorem dissipavi. Anno nono cum mihi provincia delata fuisset, peste adfectos in nosocomio Alexandriae curandi, observavi apud quendam aegrotum, exiguum furunculum in basi scroti, nec ullam ejus curam gessi. Eo momento, quo is maxime inflammabatur, glandulae inguinales in eadem parte

vehementer dolere ac tumere inceperunt. Id aliquantum animam meam perturbavit; sed cum illius furunculi recordarer, eumque curarem, tumor in inguine brevi post disparuit. Eodem tempore servum Arabem habui, qui de repetente consilium meum expetiit, ob bubonem, quem in dextro inguine habebat. Nullum indicium infectionis syphilliticae aderat. Post longum et molestum examen, mihi tandem fassus est, se a longiori inde tempore, in eodem latere herniam scrotalem habere, et ad eam continendam se ligamento inepto satis uti, quod ob frictionem cutis, inflammationi, et tandem tumori huic occasionem dederit. Post hanc confessionem tandem perspexi, timorem meum, vanum fuisse.

Deberem nunc de eo quod conditionem febris adtinet, et in primis de diversa conditione pulsus agere; at superfluum esse existimo hic de iis rebus loqui, quae ad symptomatologiam hujus morbi pertinent; cum omnia, quae de ea dici possunt, jam in operibus D. D. Pugnet, Larrey, et Savaresi exposita sint. Tres singulares caussae me ab observatione pulsus deterruerunt. Prima eaque pro me maximi momenti fuit, conservatio mei ipsius, cum periculum contactus noverim; secunda erat, quod observationes pulsus, quamvis exactissimae, nulla data ad meliorem methodum curandi, mihi procurassent. Tertia erat, quod, cum peste adfectis reclusus non fuerim, multos homines quibuscum continuo versabar, periculo infectionis exposuissem, et morbum hunc propagare potuissem. Medici, qui in posterum, observationes de pulsu arteriarum instituere voluerint, poterunt variis remediis uti, quibus plures medici in peste Sirmiensi anno 1795, et 1796 semet tutabantur. Quod ad me adtinet, pronus sum ad cre-

dendum, successus, quos hi se per id obtinuisse existimant, magis fortunae, quam observationibus, varietatem et naturam pulsus adtingentibus, deberi. (*)

Antequam pulsui immorer, malo adtentionem, ad alia signa provocare, quae medicum in diagnosi hujus morbi ducere possint. In tali casu maxime utilis mihi fuit consideratio totius vultus, qui mihi persaepe praesentiam mali detexit. Tunc vultus est quasi adflictus, oculi sunt tristes, conjunctiva turgens, genae obscure rubentes, et ambitus labiorum pallidus. Ceterum signa haec non sunt constantia; occurrunt enim peste adfecti, qui adspectum habent hominis sani, aut minime aegroti.

Ubi pestis viget, et aegroti occurrunt, qui quasi ebrii balbutiunt, verisimillum est, eos esse infectos. Quaedam somnolentia, est etiam signum suspectum.

Etiam lingua saepe diagn sim pestis adjuvat. Vidi eam interdum muco albo obductam, ac si aegroti lac per aliquot tempus in ore tenuissent; alia vice in medio ejus linea brunei coloris, et sicca apparet, et margines ejus rubri ac humidi sunt. (**) Saepe vehemens cephalalgia, nausea, vomituritio, evolutionem pestis concomitatur. Consuete magna prostratio virium adest; alias aegrotus tantum de mediocri debilitate conqueritur; ad ejus gradum cognoscendum, optimum est, si aegrotum e lecto surgere, et si is surgere non potest, considere jubeamus; si is unum et alterum absque molestia facit, concludi inde potest, eum non nimis debilem esse, et morbum nihil

---

(*) Schraud historia pestis sirmiensis. p. 308.

(**) Paris l. c. considerat hanc conditionem linguae, ut signum pathognomicum.

cum peste communis habere; at si e contrario non potest solus sedere, quin in lectum recidat; si ex lecto surgens, instar ebrii vacillat, justa ratio est suspicandi, eum a peste correptum esse. Ubi tale examen insitueram, semper ex praecautione ministrum infirmorum adstare jussi ad sustentandum aegrotum, si casui proximus esset, quod nunquam accidit.

Anthrax in quapiam corporis parte comparens, est etiam unum e certioribus signis pestis; interdum is mihi tantummodo adfectio localis esse videbatur. Decursus ejus quandoque adeo est lentus, et aegroto ita parum molestus, ut si medicus iis, quae ei narrantur, fidem haberet, in eam opinionem induceretur, eum vix ullius momenti esse. Si anthracem exactae examinare velis, oportet, ut aegrotus vestes suas penitus exuat, id quod consuete ab eo lente peragitur; sed maximi momenti est, ut medicus id patienter ferat, quo sic statum aegroti intime cognoscat. Vidi etiam quosdam, qui ad speciem nihil nisi erysipelas in gena, vel in alia faciei parte habebant; at cum propius rem examinassem, et coma, ac linteum collare remota fuissent, detexi genuinum anthracem alterum retro aurem, alterum in aure.

Ex iis, quae hucdum de signis diagnosticis pestis dixi, sequitur, nullam adlatarum circumstantiarum, solam, indicium certum hujus morbi suppeditare; et hinc oportere, quantum fieri potest, omnia simul complecti, et inter se comparare, ut certitudinem habeas.

Suadeo medicis, qui se his investigationibus dicare voluerint, tam patientiam, quam tranquillitatem animi; praesertim si de eo quaestio sit, an quoddam individuum in nosocomium sit mittendum, nec ne? ubi id per longius tempus a hominum

societate exclusum, magis inter mortuos, quam inter vivos versatur.

UNDECIMA QUAESTIO.

Quae est prognosis in peste?

Quod de prognosi in peste dicendum habeo, perparum est; omnis peste adfectus omnino pro perdito haberi potest. Ego ut fortunam extraordinariam considero, siquis ex hoc morbo evadat. Jam alibi monui plures peste adfectos fortuito, quam per medicamenta sanari; morbum hunc nulli habitui corporis parcere, et apud peregrinos differentiam offerre, quippequod frequentius hos, quam indigenas corripit. Is plerumque sub initium, et versus finem epidemiae minus letalis est.

Finis symptomatum, delirii, vomitus, — decursus bubonum regularis, tandem omnia, quae reditum sanitatis pollicentur, saepe sunt signa fallacia. Vidi enim plures, apud quos haec signa occurrebant, et qui tamen post aliquot dies perierunt. Decursus bubonum lentus, non auget periculum morbi; complures enim sanantur, quorum bubones non suppurarunt; nec decursus eorum regularis dat spem certam sanationis; e contrario decursus eorum nimis rapidus, semper est signum letale. Experientia docuit colorem bubonum posse signa prognoseos suppeditare. Si exempli gratia color eorum obscure ruber, vel lividus est, spes salutis nulla est; — Si e contrario rubor laetus est, sperandum aegrotium sanatum iri.

Vidi parvulam mulierem Gallicam peste adfectam, quae nimium tergiversabatur mihi bubonem, quem

in dextro inguine habuit, videndum praebere; post longius colloquium decrevit tandem mihi mysterium suum detegere. Cum observassem bubonem coloris laete rubri esse, praedixi eam certo e morbo evasuram; exitus morbi felix, probavit, me in prognosi mea non errasse.

Si apud peste adfectos diarrhoea superveniat, consuete est hoc signum letale. Nihil magis salutare esse videtur, quam sudor in toto corpore aequalis; sed etiam nihil periculosius, quam si is quacunque de caussa supprimatur.

Diminutio bubonum conspicua, loco eorum incrementi, potest pro signo letali haberi; si ii non suppurent, fieri potest aegrotum restitutum iri. Sed in hoc casu notandum, aegrotum secunda vice posse infici; interim liberum eum manere ab infectione, per decursum anni epidemici, si bubo suppuret.

Tumor colli vel parotidum auget periculum apud peste adfectos, ob actionem tumorum in cerebrum.

DUODECIMA QUAESTIO.

Quaenam est methodus pestem curandi?

Il ne faut pas croire que nous parvenions jamais sur la terre au foyer de la verité: Nous devons nous estimer bien hereux, quand nous voyons luire quelqu'un de ses rayons.

Jacques - Bernardin - Honoré de St. Pierre
Harmonie de la Nature. Tom. III. p. 118.

Ea, qua de therapia pestis dicenda habeo, tribus capitibus complectar.

In primo exponam observationes generales, de hoc objecto.

In secundo agam de remediis, quae pro ratione circumstantiarum adhibere potui.

In tertio denique proponam ideas meas, de diversis tentaminibus instituendis, ad perfectiorem reddendam, in quantum fieri potest, pestis curationem.

Caput I.

Observationes generales.

Quamvis hucdum tantum de peste Aegypti loquebar, oportet tamen nunc omnino de therapia hujus terribilis morbi, et de diversis opinionibus eam curandi, quas medici practici summarum meritorum protulerunt ac defenderunt, agere. Notum est, complures medicos pestem pro morbo inflammatorio habuisse; quosdam econtrario credidisse, eum naturae biliosae, alios porro eum naturae putridae malignae esse. Quilibet autem dictitat, pro sua ratione morbum hunc considerandi, se plures aegrotos sanasse. Si assertiones has exacte perpendas, vix tibi persuadebis, nos in therapia hujus morbi, hucdum adeo exiguos progressus fecisse. Equidem non nego, hosce medicos, — multos aegrotos ex peste sanatos vidisse; sed dubito id methodo curandi, quam quisque eorum, pro ratione suae theoriae adhibuit, tribuendum esse; quinimmo existimo, eos nimis indulgenter sibi id tribuisse, quod re ipsa secundae fortunae, et sequelae naturali hujus morbi, et ejus decursui adscribendum fuisset. Quamvis háec opinio nonnullis mira videri possit, monendum tamen hic habeo, eam non mihi soli esse propriam, sed jam purpuratum aulae Romanae Quastaldum testari, numerum aegrotorum, qui in nosocomio Romano ex peste, beneficio naturae sanati fue-

runt, longe majorem fuisse, quam numerum eorum qui id arti et praescriptionibus medicorum, in gratiis referre poterant. (*) Certum est, non esse in Aegypto rarum, videre homines, qui ex hoc morbo sanati sunt, quin ullum remedium adhibuerint. Si distinctio diatheseos dominantis, rationi conveniens, si ratiocinatio consequens, ad morbum hunc debellandum sufficeret, si inductio analogiae aliorum morborum, re ipsa tantopere utilis esset, sperare possemus, therapiam felices progressus facturam. At si cum adtentione ea examinemus, quae auctores de peste scripserunt; perspiciemus, nullum eorum, vel accuratum calculum, vel documenta legitima adferre, quibus veritatem suorum adsertorum probarent.

Ex his, quae jam exposui, clare elucet, aliam viam esse eligendam, si curationem pestis perfectiorem reddere velimus. Experientia docuit, ex curatione methodica nullum consectarium, ut regulam deduci posse, quia incessus hujus morbi nimis rapidus est. Dixerunt nonnulli, medicum debere, pro ratione rerum circumstantium, — individuorum morbo hoc adfectorum, et pro ratione symptomatum agere. Equidem nequaquam consilium hoc vituperare ausim, quod multi medici egregii in curatione aliorum morborum sequuntur: animadvertere tamen debeo, omnes has distinctiones, ad nullam normam nos perduxisse, quae utilis esse posset. Si percurramus opera loimographorum, reperiemus quidem in illis multa remedia, et formulas medicamentorum, quae nihil amplius ad desiderandum relinquere videntur; sed ah proh dolor! nihil in iis invenimus, nisi ea, quae artis impotentiam probant.

(*) Muratori l. c.

Frustra hucdum medici antidotum contra hunc morbum quaesiverunt, et miasma pestiferum ex corpore ope sudoriferorum expellere conati sunt; et certe, si de felici quopiam eventu gloriari possunt, eum remediis sudorem excitantibus in gratiis referre debent. Ceterum affirmare audeo, ea rarissime secundum methodum rigorosam, et cognitionem rei, quam in praesens habemus, adhibita fuisse. — Oportet igitur, ut opinor, respectu cujuspiam antidoti, et remediorum sudorem excitantium, nova tentamine facere.

Sub finem hujus tractatus, commemorabo investigationes, quas instituere magni momenti esset, sub auspiciis cujuspiam potentis regiminis; adplicando nempe nova remedia, et adhibendo in eorum usu summam diligentiam. Quam honorificum pro me foret, ostendisse medicis novum campum gloriae!

Oportet denuo operam impendere, ut miasma quod se in corpus hominis insinuavit, destruatur, et ejus actio, vel enervetur, vel cöerceatur — Ope vaccinae eliminatur facultas suscipiendi variolas; ope Cinchonae, justo tempore, et in sufficienti quantitatae, exhibitae sanantur nunc fere omnes febres perniciosae, quae antequam hic magni pretii cortex detectus, fuisset intra paucos dies aegrotos necabant. — Summa inflammatio sanatur quasi per incantationem, ope repetitarum venae sectionum, et syphillis ope mercurii. Non est igitur plane desperandum, aliquando antidotum contra pestem detectum iri.

Post hanc digressionem redeo ad ea, quae a medicis exercitus Gallici in Aegypto suscepta fuere.

Consectaria observationum, quae ii anno 1798, 1799 et 1800 obtinuerunt, non quidem accurate innotuerunt; sed pro notitia harum rerum, quam mihi procurare potui, et secundum calculum vero pro-

ximum, credo, rationem hominum sanatorum, ad numerum aegrorum fuisse, ut 20 ad 100. Aut si consideremus, observationes docere, indigenas saepe ex peste sanari, quin ullum aliud remedium adhibuerint, quam decoctum radicis glycirrhizae, magna copia sumptum; — et si praeterea perpendamus, morbum hunc sensim pedetentimque in ea ratione diminui, ut solstitium aestivum appropinguat, et tunc minus mortiferum esse: concludere inde possumus, a numero, quem supra adduxi, adhuc deduci debere, numerum decem hominum, qui suam salutem aut fortunae, aut bono habitui sui corporis, in gratiis referre debent, et tanto magis proportionem 10 ad 100 locum habere; id quod sufficienter demonstrat, quantum a vera methodo pestem curandi remoti simus; sed fatendum etiam complura obstacula, eaque immutabilia, observationibus therapeuticis rite instituentis obfuisse. Tempus belli continuum, quo viximus, contrarium plane erat iis conditionibus, quae necessariae, fuissent, si omnem adtentionem nostram, et omnes curas ad calamitatem publicam convertere debuissemus, ac voluissemus.

Inter caussas, ob quas hucdum adeo exigui progressus in therapia hujus morbi in Aegypto facti sunt, referri etiam debet imperitia nonnullorum medicorum, et simul quoddam studium curationem opinionibus scholarum adcommodandi.

Si consideremus medicos de repente in regionem delatos fuisse, ubi eis omnia nova erant; si consideremus tristem dubitationem, in qua haerebant, quid in tam horribili morbo, quem nunquam antea viderunt, nec studuerant, suscipiendum eset; facile perspiciemus, eos prosperum successum curationis habere non potuisse. Hoc idem permovit Doctorem Soti-

ra (*) ad enuntiandum, quod si Galli diutius domini Aegypti mansissent, et tentamina hoc in morbo institui, ac corrigi potuissent; generi humano magnum beneficium praestitissent. Ad id quod hucdum factum non est, possent principes insignem impulsum dare. Egometipse sub finem hujus tractatus, propositionem tam generi humano salutarem, quam principibus honorificam proponam.

Ex iis, quae in antecedentibus dixi, patet, pestem Aegypti semper naturae adynamicae esse, et ut existimo non aliam ejus distinctionem admittendam esse, quam pestis m i t i s, m e d i o c r i s, et v i o l e n t a e. Non facio hic mentionem pestis benignae, quia haec denominatio mihi inepta esse videtur. Indicavi etiam circumstantias, quorum ope diversi gradus hujus morbi ab invicem distingui possint; asseruique principium contagiosum in homine multiplicari, at multiplicationem hanc definiri non posse; Sed eam semper ad extinguendum principium vitae tendere. Observari porro, multiplicationem hanc, apud quaedam individua esse exiguam, apud alia eam subito subsistere, praesertim si ea antea perfecte sana, ac quadamtenus robusta fuere. Sed et totidem fere circumstantiae incertae et obscurae occurrunt, ex quibus nullum certum consectarium duci potest. Sudores critici, vel etiam arte eliciti, videntur multum conferre, ad cöercendam hanc multiplicationem, et principii contagiosi actionem. Hinc primum et maxime urgens negotium circa peste adfectos erit, funestam hanc multiplicationem impedire et exstinguere, vel saltem ejus actionem perniciosam in principium vitae debilitare; sed proh dolor! nec chymia, nec medicina observatrix, ullum

(*) In tractatu allegato

remedium ad id utile, suppeditant; et hinc cogimur omnem nostram adtentionen, ad characterem pestis, qui maxime in oculos incidit, convertere. Omnia hujus morbi phoenomena, a me cum scrupulosa adtentione observata me convicerunt, in ea persaepe adesse summam systematis nervosi agitationem, et summam debilitatem; et hinc duo haec gravia momenta medicum practicum in primis prae oculis habere debere.

Nihili facio reactionem systematis arteriosi, quae ut plurimum momentanea est, et hinc medicum occupare non debet. Objiciet mihi fortassis quispiam, easdem ideas de curatione hujus morbi, jam complures medicos practicos perspicaces habuisse. Summe essentiale est animadverre, plura dari remedia; quae morbis adynamicis opponi possunt, et ea, quae hucdum contra pestem adhibita fuere, mea quidem opinione, ei non convenire. Clarius me explicabo. Non satis est tantum medicinam quampiam praescribere, quae magna vi in organismum agat, sed oportet eam simul diligenter, circumspecte, ac debita ratione administrare; id quod saepe medici practici, et in primis ii, qui curationi peste adfectorum destinati erant neglexerunt. Quid enim a remedio sperandum, quod interdiu quidem exhibetur, sed noctu consuete penitus negligitur? Nostris temporibus magis ac antea innotuit, permagni momenti esse, si eadem remedia, in parva dosi, et repetitis vicibus, omni quadrante horae, nocte ipsa non excepta, — immo et alternatim cum aliis remediis exhibeantur. Si considerem summa emolumenta quae ex hac methodo in Europa, — in morbis maxime periculosis habui, sperare ausim, regulam hanc, sub magis faventibus circumstantiis, quam eae erunt, quae nos in Aegypto circumdabant, in curatione pestis

maxime utilem futuram. Si medicamenta, ut consuete fit, in magnis dosibus exhibeantur, facile inde nimia irritatio exoritur, quae morbum praecipitat; si e contrario doses nimis parvae sint, nullum emolumentum ab iis obtinetur. Ut igitur finem exoptandum inde obtineamus, oportet regulam, cujus supra memini, sequi, et ea, quae sensim de methodo medendi adferam, rite observare.

Complures meorum collegarum credebant, initium curationis pestis debere semper cum vomitorio fieri; praesertim si morbus recens, et aegrotus non nimis debilis sit. Adulabantur sibi, se hac ratione non solum sic dictas primas vias, a materia biliosa et saburrali, liberare, sed etiam salutarem concussionem corporis excitare posse. Emolumenta quae per hanc methodum obtinere volebant, semper mihi dubia videbantur, et ratio, experientia suffulta, me ab eorum imitatione retraxit.

Concussio, quam vomitus sub initium febris adynamicae consuete excitat, potest quidem interdum salutaris esse, aut plane, id quod experientia confirmat, morbum exstinguere. Sed cum aliae febres, et pestis, longe inter se differant, et haec pro morbo sui generis habenda sit: non dubito asserere, remedia vomitoria in ea non solum esse inutilia, sed etiam saepe propter debilitatem, quae post eorum usum sequitur, et ob amissum pretiosum tempus periculosa. Si remedia vomitoria adeo salutaria fuissent, ut credebant, certe plures ex aegrotis, sanari debuissent; at infelici casu, nihil est, quod eorum utilitatem tantopere dilaudatam, indubitate confirmaret.

Remedia alvum ducentia, non majorem utilitatem adferunt ac vomitoria. Si absque omni studio

partium examinaverimus scriptores, qui de peste scripserunt, perspiciemus fere omnes adtentionem suam ad systema gastricum, bilem etc. convertisse; et ut ita dicam, bellum abdomini indixisse. An accessit exinde aliquid utilitatis? Nequaquam.

Existimabant porro medici curam interdum a venae sectione esse incipiendam, conabanturque casus, et tempus determinare, ubi ea necessaria esset. Jam a longiori inde tempore durat controversia de ejus utilitate, et periculo. Non ignoro plures medicos, ut Sydenhamum, Botallum, aliosquè, illam permultum dilaudasse; at si differentiam climatis Angliae, et vivendi rationem incolarum ejus consideres, facile perspicies, non esse rationi conveniens, Aegyptum, Angliae aequiparare. Sed quamcunque praeconceptam opinionem Sydenhamus respectu venae sectionis habuit, perspexit tamen methodum hanc non plane sufficere; cum dein ad remedia sudorem excitantia confugerit, quae minus periculosa, et magis utilia expertus est.

Numerus medicorum, qui venaè sectionem in peste damnant, major est (*), quorum partes ego

(*) Ex horum numero sunt, celeb. Fracastorius, Cardanus, Fernelius, Platerus, Rivierus, Barbettus, Doleus, et plures alii. Faloppius affirmat, in peste, quae in Italia ab anno 1524, usque ad annum 1530 duraverat, omnes, quibus vena incisa erat, mortuos esse, et complures illorum, qui venae sectionem non adhibuerant, salvos evasisse. Pareus quoque refert, in peste anni 1565, quae totam fere Galliam devastaverat, omnes, quibus vena incisa fuerat, periisse. Dimerbroeck idem adserit. Faloppius mentionem facit medici, qui mille peste adfectis venam incidi curavit, et ex quibus vix duo evaserunt. Si igitur nonnulli medicorum, re ipsa

quoque sequor. Tam saepe, et tam methodice vena incisa fuit, ut certo adfirmare possimus cum nullo alio remedio tam numerosa experimenta esse instituta, ac cum hoc. At habuerunte medici exinde ullum emolumentum? Nequaquam. Interrogemus medicos Constantinopolitanos, Smyrnenses, et Salonicenses, an venae sectionem utilem esse observarint? Persuasum mihi est, eos uno ore id negaturos. Doct. Sotira, collega meus, qui per tres continuos annos, peste adfectos Rosettae curavit, admittit quidem in quibusdam casibus singularibus venae sectionem, et adfirmat, se eam cum utilitate adhibuisse, immo quandoque etiam quater intra diem repetiisse. Intime tamen persuasus sum, id ei non saepe prospere successisse; et candide affirmare ausim, eum in curanda peste feliciorem non fuisse, ac ceteri ejus collegae. Haec veritas ex propria ejus confessione elucet, ubi dicit: artem pestem sanandi, non magnos progressus in Aegypto fecisse.

Praeterea si remedium quodpiam contra pestem adhibitum, mortem non directe adtulit, non sequitur inde, id sanasse morbum. Hic modus argumentandi, tantum tunc verisimilitudinem haberet, si venae sectio exactissime, et saepius repetita fuisset, et si ejus neglectio, in casibus simillimis, constanter et inmediate caussa mortis fuisset. Pruritus hic venam incidendi, caussa fuit, quod plures medici, jam antequam in Aegyptum venissent, crediderint, hoc solum remedium ad sanandam pestem sufficere;

---

felicem successum ab hoc remedio obtinuerunt, suspicandum id in peste locum habuisse, quae longe ab ea differebat, quae amplissimas regiones devastabat.

atque de hac opinione, tantopere persuasi erant, ut remedium hoc sibi ipsi adhibuerint, et omnes promiscue ejus victima fuerint.

Caput II.

De remediis a me in peste curanda adhibitis.

Postquam supremus dux copiarum decrevisset, ut exercitus Gallicus Aegyptum evacuaret, profectus sum Rosettam, ubi pestis grassabatur. Brevi post meum adventum, servus Sotirae, cui provincia medici hic loci demandata fuerat, a peste correptus fuit. Cum administratores publicae salubritatis, jussissent, ut Sotira nosocomium peste adfectorum peteret, ibidemque per quadraginta dies commovaretur, munus ejus suscipere debui. Erant tunc in nosocomio 39 aegroti. Pharmacopaeum penitus medicinis vacuum erat, et administratio nosocomiorum pecunia carebat, atque commercium inter Rosettam et Kairum interruptum erat; et nonnullae res summe necessariae pro nosocomio peste adfectorum, summacum difficultate, tantummodo pro una die procurari poterant. Sub his difficilibus circumstantiis, subito me in medio numerosorum peste adfectorum collocatum vidi, qui quotidie quatuor, vel quinque individuis augebantur. Ex una parte enarratae circumstantiae mihi adversae fuerant; ex altera dubius haesi, quid hic cum ratione tentare possem? Ceterum mihi regulam posueram, quam maxime statui adynamico, in hoc morbo constanti, in quantum mihi remedia praesto essent, resistere, et violentam agitationem systematis nervosi sopire.

Hinc statim recurri ad camphoram, et eam in dosi duarum, aut etiam quatuor drachmarum, in-

tra 24 horas dari, eamque simul ope exiguorum clysmatum, anui injici jussi. — Interdum larga vesicantia ad brachia et femora, — saepe quatuor, immo etiam sex adplicabantur; sed nec a camphora, nec a vesicantibus remediis, ullum emolumentum obtinui. Erat id, (ut vulgo dicunt,) ac si emplastrum femori ligneo adplicassem. — Exhibui quoque saepe potionem antiemeticam Riverii. Multi autem aegroti in summo delirio, omne auxilium detrectarunt. (*)

Aegroti mei in vicinia habitationis meae, in templo Turcico (Mosché) commorabantur, ubi eos ter per diem invisi, quin ullam aliam cautelam adhibuerim, praeterquam quod nullum eorum adtigerim; una manu baculum, altera muscarium tenebam ad abigendos milliones muscarum, quae se in peste adfectis nutrire videbantur. Pharmacopola, qui me sequebatur, dum aegrotos inviserem, ita ut ego de necessitate persuasus erat, semet more consueto, contra hunc morbum tuendi, at tamen a peste fuit correptus, ex qua brevi convaluit. Certas observationes de eo non habeo, an muscae pestem impertiri pos-

(*) Cum quadam die in nosocomio febre adfectorum fuissem, dolui me nullum individuum, ministerio aegrorum aptum habere. Quidam vir albi coloris (ut ajunt) semet pro ministerio pestiferorum obtulit, si ei singulo mense duodecim Francos monetae Gallicae solverem, quod perlibenter feci. Hic mihi perutilia servitia praestitit, et adeo felix fuit, ut a peste non fuerit correptus. Monendum hic habeo, quod ut aegrotorum debita cura geratur, necessarium esse, ut alii ministri infirmorum, interdiu, et alii noctu iis ministrent; et praeterea, alter inspector interdiu, et alter noctu praesens sit. Sine hac cautela vix ac ne vix, medicus accurata experimenta et observationes facere poterit.

sint; plures circumstantiae me inducunt ad credendum, eas non esse periculosas, quamvis Manget opinetur, eas morbum hunc impertire posse.

Parum contentus remediis curandi, quae indicavi, volui frictiones cum oleo tentare, quas Balduinus Consul Anglicus, et Pater Ludovicus Papiensis, Smyrnae commendarunt. Post multas preces, et sollicitationes, tandem mihi relatum est, adesse in pharmacopoeo exiguam quantitatem olei olivarum, qua pro arbitrio meo uti possem. Ut eo accuratius judicarem, quem effectum frictiones cum oleo haberent, elegi in primis individua graviter peste adfecta. Prima tentamina ad admirationem usque successerunt, et spatio duorum dierum, delirium, et magna prostratio virium, quae symptomata pestis frequentissima, et periculosissima sunt, disparuerunt. Crisis maxime notabilis et constans, erant sudores copiosi. Unus meorum aegrotorum, me nimium exoravit, ut remedium hoc intermitterem, affirmans, se nisi id facerem, prae nimio sudore periturum.

Observavi omnino, quod, quo tardius sudores prorumpunt, eo minorem esse spem sanationis, et vice versa. Summe autem necessarium est, ut aegroti bene contegantur, et impediantur, ne in delirio e lecto surgant, et semet actioni frigidi äeris exponant. Justas caussas credendi habeo, nonnullos meorum aegrotorum propterea periisse, quod semet frigido äeri exposuerint, cum sudassent. — Sufficit, si una tantum frictio per diem fiat; et quinque, vel sex frictiones sufficiunt ad totam curationem. Pro una unctione sumuntur sex unciae olei.

Superfluum esse existimo hic uberius de eo loqui, qua ratione frictiones cum oleo fieri debeant. Qui hac de re plura cognoscere voluerint, legant Nosogra-

phiam philosophicam D. Pinel Bd. I. p. 354. (*) Anno subsequente aliae adhuc mihi occurrerunt occasiones, oleosas frictiones adhibendi. Sed eae non tam numerosae erant, ut ex iis consectaria majoris momenti ducere potuissem. Amicus meus et collega Renati, easdem frictiones, et eodem tempore, apud multos peste adfectos tentavit, sed effectus eorum non respondit adsertioni Balduini; eo non obstante persuasus fuit, remedium hoc, plurimis aliis esse praeferendum. — Audivi etiam a Doct. Rozel, chirurgo primae classis, exercitus Aegyptiaci, se, cum in Syria a peste correptus fuisset, sciretque, quendam medicum Constantinopolitanum, sanare tales aegros, ope indusiorum oleo imbutorum; et praeterea methodum Balduini notam haberet, eandem in usum vocasse. Sequebantur exinde sudores copiosi, et foetentes, et bubo in inguine terminavit felici cum exitu morbum hunc intra paucos dies. Smyrnae celebris Pater Ludovicus Papiensis innumera pericula cum frictionibus oleosis fecit. Si mors venerandum hunc philanthropum, e vivis non eripuisset, fortasse iter de industria ad eum suscepissem, ad colligenda omnia facta, quae pestem, et frictiones oleosas Patris Ludovici adtingebant. Nam tantum ope investigationum directe in locis, ubi pestis grassatur, factarum, certa data hunc morbum adtingentia, colligi possunt.

Quamvis judicium meorum collegarum, de hoc remedio vacillans sit, existimo tamen me satis in

(*) Nachricht von dem im St. Antons-Spitale in Smyrna mit dem allerbesten Erfolge gebrauchten einfachen Mittel, die Pest zu heilen, und sich vor selber zu bewahren etc. Von Leop. Grafen von Berchtold. Wien, 1797.

medium protulisse, ut demonstrem, frictiones oleosus, medico majorem spem dare pestem ope eorum sanandi; quam ope cujuscunque alius remedii. Praeterea necessarium esse credo, ut eae repetantur, et toties adhibeantur, quoties semet occasio eas adhibendi obtulerit, et eas simul actionem remediorum internorum, ubi ea adhibere medico visum fuerit, multum adjuvare posse. Quod ad frictiones oleosas, ut tutamentum adtinet, relego lectorem ad ea, quae in opusculis meis: Collection d'opuscules de médécine pratique. Paris, 1812. p. 69 dixi. Consuli potest etiam Salzburg. medic. chirurg. Zeit. 1816.

Nullus medicorum saeculi XVIII. de frictionibus oleosis, ut de remedio contra pestem loquutus est, antequam observationes D. Balduini, et Patris Ludovici publicatae fuissent. Sed ab eo tempore plures conabantur, auctores antiquos adlegare, qui hoc remedium in suis operibus laudaverint. Si quis consideraverit, ante Balduinum frictiones oleosas in profunda oblivione sepultas jacuisse, certe ei meritum id non denegabit, eum adtentionem ad hoc remedium provocasse, quod non solum in peste summam adtentionem meretur, sed quod etiam in febre flava, et in aliis febribus characteris maligni, quae saepe caussa sunt summae mortalitatis, tentari posset.

Postquam parva illa quantitas olei, quae mihi praesto erat, et cujus in antecedentibus mentionem feci, citius ac optassem, consumta fuisset, et mihi nulla ratione aliud procurare possem: vidi impossibile fore, experimenta cum hoc remedio continuare; hinc iterum in tristi dubio haesi, quomodo infelicibus militibus, quibus, ut medicum decet, addictissimus fueram, succurrere deberem, ac possem.

Necessitate sic urgente, et ignorans, unde quod-

piam remedium, in terribili hoc morbo adhibendum, procurare liceret; confugi ad opium, quod ob exiguum ejus pretium, facile haberi potuit, non habita ratione eorum, quae auctores de ejus utilitate, vel noxa dixerunt. Egomet ipse experiri volui, quis esset ejus effectus. Pharmacopola qui tunc in nosocomio officio fungebatur, retulit mihi, se aliquot uncias optimi opii comparasse. Cum nihil melioris ad propinandum aegrotis meis haberem, jussi ex hoc opio pilulas medii grani formari; et complures aegroti 6—8 pilulas tales, intra nycthemerum absumserant. Postquam observassem, me post plures dies, parum inde utilitatis habere, auxi sensin dosin apud plures aegrotos, ab 8, usque ad 16 grana, intra idem temporis spatium exhibenda. At nec exinde ullam crisin observavi, sed cum admiratione audivi, me jam perfecte reconvalescentes rogasse, ut sibi hasce pilulas dare continuarem, quae sibi permultum profuissent. — Optassem ut tentamina haec continuare potuissem; sed ut ordo rerum secum ferebat, post elapsos quadraginta dies, munus meum doctori Sotirae tradere, et Kairum redire debui.

Cum anno subsequenti Kairi pestis cum vehementia saeviisset, optabam tentamina, tam cum oleo, quam cum opio repetere; sed cum mihi jam prius munus medici in nosocomio sic dicto Ibrahimi, in hac urbe demandatum fuisset, nosocomium peste affectorum, doctori Renati traditum erat. Eo tamen non obstante, permultos peste adfectos vidi, qui ad me quotidie mittebantur, et in cubili amplo, observationi eorum destinato, collocabantur. Hos ibidem singulo mane invisi, et ex iis, in nosocomium pestiferorum, eos transferri jussi, de quibus certus eram, peste adfectos esse. Qua occasione expertus

sum, genus hoc investigationis, permultas offerre difficultates; — persaepe enim pluries debui invisere hosce aegrotos, antequam decernerem, an peste adfecti, an vero abea liberi essent? Et re vera juste vituperatione reprehendi potuissem, si in nosocomium pestiferorum, aegrotos alio morbo laborantes misissem. Sed revertor ad usum opii in hoc morbo, et sincere exopto, ut alii quoque medici, nova tentamina cum eo instituant, et hanc regulam fundamenti loco ponant, dosin nimirum ejus gradatim esse augendam, sed rapide, in aequalibus intervallis, nam nisi id fiat, nullum inde emolumentum sperandum (*).

Ultimis temporibus, per plures menses, curam nosocomii Alexandriae, in quo peste adfecti erant, habui; ubi felicior, quam Rosettae fui, cum hic tantum dimidiam partem, illic duas tertias eorum sanaverim. Procul absum, ab eo, ut totum remediis adhibitis adscribam. Nihilominus patet inde, quod ope investigationum continuarum, et absque studio partium susceptarum, tandem ad conclusiones magis certas pervenire possemus.

(*) Cum anno nono Ghizae fuissem, ubi pestis magnas strages tunc edebat, quadam die apud procuratorem rerum militarium Robinau coenavi, ubi mihi ad latus quidam juvenis dux(officialis), tam ob bonam suam valetudinem, quam ob animi hilaritatem notabilis, sedebat. Hic die proxima, me ad se ob valetudinem minus commodam, accersiri curavit; conquerebatur is, se mane, cum e lecto surgeret, dolorem in sinistro inguine persensisse. Cum rem penitius investigassem, cognovi eum bubonem incipientem habere. Capitis dolore exiguo laborabat, et lingua ejus alba fuit. Subseque jussi eum oleo perfricare indulsique ei potum ex fabis arabicis coctum, at mane die tertia e vita excessit.

Medico facta utilia tantum experientia suppeditare potest; solummodo ab iis medicis, qui artem sane perdifficilem observandi, et universam materiam medicam norunt, progressus in therapia hujus morbi exspectari poterunt.

Nullum mentionem hic facio curationis chirurgicae peste adfectorum, cum ea summa cum sagacitate, a domino Barone Larrey (*) et Desgenettes (**) exposita sit.

Convalescentia ex peste mihi nullas observationes notatu dignas obtulit. Ultimis annis Kairi, multorum, qui ex peste convalescebant, curam habui, at hi nulla alia re amplius indigebant, quam bono nutrimento, et curatione chirurgica, quae saepe longa, et fastidiosa fuit. Convalescentes omnino summacum adtentione omnis generis excessus in diaeta vitare debent. Non minus magni momenti est, ut summae munditiei studeant, in societate hominum in vestibus, quae jam per longius tempus libero äeri expositae erant, compareant. Facile perspicitur omnes regulas, quas ex peste convalescentes observandas habent ad administrationem salubritatis publicae pertinere.

(*) Relation chirurgicale de l'expedition de l'armée francoise en Egypte.

(**) Historie medicale de l'armée d'Orient.

Caput III.

Ideae de diversis tentaminibus instituendis, ad perfectiorem reddendam, in quantum fieri potest, pestis curationem. Etiam in arduis tentasse decorum.

Si cum adtentione consideremus numerum remediorum, quae hucdum ad curandam pestem adhibita fuere, facile perspiciemus, medicos semper in quodam quasi circulo vitioso circumactos fuisse, cum fere semper eadem remedia, — vel plane inepte mixta adhibuerint. Si quempiam prosperum successum in hoc morbo sperare volumus, oportet, ut viam antiquam deseramus, — eorum, quae hac in re hucdum facta sunt, ut ita dicam obliviscamur, — nova experimenta instituamus, et complura remedia, tam externa, quam interna, quae sensim hic proponam, adhibeamus.

Opto ut medici, qui in futurum occasionem habituri sunt, pestem tractandi, opium solum, aut alternis etiam vicibus cum solutione alcalina adhibeant. Innititur hoc consilium experimentis Baronis ab Humbold, qui observavit, partes musculares, stimulis Galvanicis penitus exhaustas, denuo quendam gradum irritabilitatis obtinere, si eae cum solutione alcalina humectentur. Dr. Stütz remedium hoc in Germania felici cum successu, in curatione tetani, et aliorum morborum spasmodicorum adhibuit. Methodus autem ejus sequens est: jubet is aegrotum balneis cum lixivia cinerum paratis, et simul interne, alternis vicibus opio, et carbonate lixiviae uti; hujus posterioris remedii drachma una et dimidia, vel drachmae duae, solvuntur in sex, novem vel duodecim unciis vehiculi alicujus, — opii duodecim grana

intra 24 exhiberi debent. Emolumenta, quae ex solo opio in peste habui, spem mihi faciunt, ab eo, si secundum methodum, quam hic indicavi, exhibitum fuerit, adhuc majora exspectari posse. Pulvis Doveri, qui ut notum est, ex partibus aequalibus opii et Ipecacuanhae constat, et in transpirationem agit, meretur quoque, in peste adhiberi; egomet ipse magnopere doleo; me cum hac compositione, quam in aliis morbis multoties adhibui, nulla tentamina instituisse.

Multum etiam, diversis temporibus, de usu mercurii in pestis curatione loquebantur; sed credo plurima experimenta cum eo, non fuisse rite instituta; quia medici non satis summam rapiditatem hujus morbi noverant. Ceterum si consideremus summam hujus remedii utilitatem in pluribus febribus petechialibus et typhosis, si perpendamus ultimis hisce temporibus, hoc remedium etiam teneris hominibus, et in morbis etiam levioribus, in dosi sex, usque decem granorum intra viginti quatuor horas exhibitum fuisse; perpicimus e re esse, ut cum eo nova experimenta, in peste instituantur. Doctor Chisholm dedit in typho octies intra nycthemerum, bolum, qui ex quinque granis muriatis hydrargyri mitis, ex duobus granis antimonii, et uno grano opii compositus erat. Idem adnotat, se nonnullis suorum aegrorum usque ad 400 grana mercurium exhibuisse, antequam salivatio sequeretur. Doct. Maclarty asserit, in typho debere dari omni bihorio 8 — 10 grana hujus remedii, et praeterea frictiones cum unguento mercuriali debere institui.

Medicus hicce cum hoc remedio usque ad salivationem continuavit. (*) Hinc existimo muriatem hy-

(*) Reil über Kenntnifs und Cur der Fieber. Vol. 1. p. 569.

drargyri posse in peste ad duas usque drachmas, intra viginti quatuor horas augeri; in casibus minus gravibus, ubi habitus corporis tener et debilis est, dimidia pars hujus remedii sufficiet. Si id in intestina nimium agat, adjungi potest singulae dosi, granum unum opii, at in genere actio ejus in intestina est metuenda.

Certus sum, in morbis gravibus, actionem mercurii in os non esse metuendam; de ejus usu in frictionibus paullo inferius loquar.

Aliud remedium, quod adtentionem in curatione pestis meretur, est belladonna, quam Doct. Lang (*) primus in peste, quae Rosenaviae in Transylvania, loco Coronae vicino grassabatur. Quinque peste adfecti, quibus hoc remedium exhibitum erat, perfecte sanati sunt. Exhibita iis fuere quotidie duo grana pulveris foliorum hujus plantae cum sacharo mixta. Tres horum aegrotorum tantummodo bubones pestilentiales, alii etiam anthraces habebant, quod periculum morbi auxit, et in caussa fuit, quod in curatione posteriorum, praeter belladonnam, etiam drachma dimidia corticis peruviani, mane et vesperi exhiberi debuerit; usus remedii cito sudores criticos, apud quinque aegrotos, qui peste laborabant, excitavit.

Nullum remedium ex regno vegetabili mihi notum est, quod citius, et majori vi ageret, quam belladonna, qua de caussa id etiam pesti congruum est. Sed verisimile mihi videtur, id brevioribus intervallis, ac id a Langio factum, propinari debere. Tempus futurum, et experimenta a medicis exper-

(*) Rudimenta doctrinae de peste. Offenb. 1791.

tis instituta, docebunt, quid ab hoc remedio exspectandum sit?

Complures medici, et in primis Dr. Valli, magnam opinionem de assa foetida habuisse videntur, si ea in dosi plurium unciarum, intra nycthemerum exhiberetur. Sed jam in antecessum persuasus sum, multos aegrotos hoc remedium, aut propter odorem, aut ob delirium, et vomitum abominaturos. In tali casu oporteret id in majori dosi, in forma exiguorum clysmatum, ano iniicere. Optarem autem, ut simul superficies corporis aegroti, tinctura assae foetidae satis saturata, perfricaretur.

Si ob quasdam circumstantias, defficile esset, quodpiam ex remediis hucusque recensitis, adhibere, tentari posset aether sulphuricus, nitricus, aut muriaticus. Non est conveniens, hic doses ejus positive determinare, quae pro ratione habitus aegroti, et vehementia pestis, infinite variari debent. Existimo autem, quodsi omnino ab his remediis utilitatem exspectare velimus, medicamenta haec in parva quantitate, sed saepe repetita, diu noctuque propinari debere, cum experientia doceat, sub hac methodo magnam quantitatem horum remediorum exhiberi posse, quin exinde stimulatio nimia exoriatur, quod alias post magnas doses, per longiora temporis intervalla exhibitas, sequi solet. Hinc in casu pestis levioris, propinarem quempiam ex speciebus aetheris commemoratis, in dosi viginti quinquae guttarum, ter vel quater intra horam, et in dupla quantitate in casibus gravioribus. Quaeri porro potest, an hocce remedium initio morbi, ubi adhuc magna irritatio, vel orgasmus adest, conveniens sit? Ego absque ulla haesitatione id adfirmo, et nec hic, nec in febribus perniciosis cum remediis similibus tergiversandum

esse credo, etiamsi plura signa gastrica compareant, quibus medicus expertus oppugnandis, nequaquam tempus in cassum perdet; sed studebit febrim ante omnia ope corticis peruviani supprimere, ut aegrotum servet. Idem in peste quoque observandum est; oportet nempe omni opera morbum hunc cöercere, quod nequaquam ope nitri, emulsionis etc. obtinebitur.

Quaeri adhuc potest, an liceret aquam laurocerasi contra pestem sub initium invasionis tentare? Nemo quidem hucdum in hoc casu remedium hoc adhibuit; ob magnam tamen suam vim, forte quaedam emolumenta adferret.

Porro an non esset conveniens, digitalem purpuream, in dosi duorum granorum, pluries intra viginti quatuor horas exhibere, habita tamen ratione variae constitutionis corporis. Remedium hoc, quod manifeste in systema arteriosum agit, et cujus virtus nonnisi a triginta inde annis nota est, nunquam in peste adhibitum fuit. Sed seu hoc remedium in pulvere, sive in infuso adhibeatur, moneo, ut medici, qui id exhibere voluerint, de duabus conditionibus certi sint; prima est, ne digitalem purpuream quae in hortis colitur, aequiparent ei, quae in montibus crescit, secunda est, ut de eo certi sint, folia ante decerpta esse, quam planta floruerit; nam indubium est virtutem ejus minorem esse, postquam effloruit.

Opinio mea de utilitate acidorum mineralium non est magna; emolumenta, quae medici ab acido sulphurico, et nitrico exspetant, semper mihi dubia videbantur. At valetne idem judicium de acido muriatico oxygenato, quod celebr. Wilhelm Fordyce pro potenti remedio contra pestem habet, si de eo

singulis quartuor horis, quadraginta guttae exhibeantur (*). Equidem absque timore majores doses, et in brevioribus intervallis propinarem.

Doct. Fordyce hoc remedium etiam in variolis malignis, in inflammationibus gangraenosis, et in febribus petechialibus exhibuit, affirmatque, se ope ejus multos aegros sanasse. Simul facit mentionem, quendam medicum graecum Rhodakamaides, vendidisse Constantinopoli jam anno 1664 acidum muriaticum, sub nomine Spiritus mundi alexikakon, ad sanandam pestem, et morbos (**) putridos.

Doct. Braitwhite affirmat, se admirabilicum successu, acidum muriaticum oxygenatum, contra febrem Scarlatinam adhibuisse. Eum allegando, nullum alium scopum prae oculis habeo, quam ut ejus methodum, remedium hoc adplicandi, iis notum reddam qui id fortassis in peste adhibere voluerint. Sumit is uncias octo aquae, et drachmam unam acidi muriatici oxygenati, dividitque hanc medicinam in disparata vascula, in obscuro loco adservanda (***). In peste oportet id dare, in dosibus quater, quinquies, immo etiam decies majoribus.

Dr. Grohmann, qui tempore pestis, quae Bucharesti anno 1813 se manifestaverat, unus ex paucis medicis erat, qui ibidem manserunt, et multos aegrotos pertractarunt. Existimat is studium unius

(*) Samml. auserl. Abhandlungen für practische Aerzte XIV. B. p 452.

(**) A letter to sir John Sinclair Bart, concerning the virtues of the muriatic acid, or Spirit of sea sult in the cure of putrid diseases by Will. Fordyce London 1790.

(***) Medic. Abhandlungen für practische Aerzte B. XXII. p. 808.

solum methodi pestem percurandi, esse scientiae plane oppositam, asseritque, pro ratione singularis constitutionis, etiam particulares indicationes locum habere, penitusque de eo persuasus est, pestem esse febrem nervosam, et hinc curationem ejus debere esse stimulantem. Quamvis non probet methodum antiphlogisticam, adserit tamen, in quibusdam casibus plethorae, et in eo momento, ubi pestis hominem invadit, venae sectionem posse esse utilem. At mercurii non est amicus, sicut nec balneorum frigidorum. Judiciam ejus nimis est ideis theoreticis, et subtilitatibus interseptum — ubi is in opere suo de usu acidorum mineralium loquitur, decernit is acidum muriaticum oxygenatum aliis acidis longe esse praeferendum. Sed ingenere judicium hic ferre debeo, curationem ejus esse nimis complicatam, et adeo variabilem, ut impossibile sit perspicere, quid re ipsa in curatione profuerit? — Jam si medicus practicus mihi rationem exactam, et ut ita dicam evidentem curationis dare non potest: semper ad priorem meam sententiam recurro, investigandum nempe esse, an sanatio fuerit fortuita, vel re vera effectus ipsius curationis. Adsentior quidem medicum expertum rationem debere habere singularis constitutionis aegroti, et considerare eum debere, diversa et maxime notabilia symptomata, quae apud peste adfectos occurrunt, sed non licet hanc considerationem justo magis extendere; agitur enim hic de morbo sui generis quem optimo jure medici semper febrem acutissimam nominarunt. Ea quae in tractatu Grohmanni de peste inveni, cognitionem meam respectu morbi hujus gravissimi, plane non locupletarunt (*).

(*) Grohmann Beobachtungen über die im Jahre 1813

Plures medici omni veneratione digni afferunt observationes in laudes phosphori, quem in febribus adynamicis desperatissimis adhibuerunt; alii autem usum ejus reprobant. Vix autem decerni potest, quaenam ex his duabus factionibus erret? Certum est phosphorum potenter fibram muscularem stimulare, et hanc ob caussam oportet cum eo etiam in peste experimenta instituere, ubi exigua reactio semet manifestat. Cum voluptate ea leges quae Alibert (*) de modo eum administrandi scribit; non erit igitur superfluum, hic sequentem locum transscribere:

» Il n'est peut-être pas remede dont il soit plus » important d'etudier le mode d'administration; Mr. » Hufeland surtout a donné des préceptes les plus uti- » les contre l'usage inconsideré que l'on pourroit faire » de cette substance. Il a prouvé en effet que lors- » que le phosphore est administré a trop forte dose, » ou qu'il est mis dans un contacte trop immediat avec » les parois irritables de l'estomac, il determine un » état de phlegmasie de cet organe, et souvent même » des engorgements squirrheux etc. Il insiste en con- » séquence sur la necessité absolue qu'il y a de le dis- » soudre dans un véhicule convenable. Ce Medecin » a confirmé d'ailleurs par son expérience qu'on ne » peut, sans exposer le malade à un veritable dan- » ger, administrer plus de deux graines de phospho- » re dans l'espace de 24 heures, et qu'un grain suf- » fit dans tous les cas pour produire les effets, que

---

zu Bukarest grassirende Pest, als Beytrag zu einer tiefern Beurtheilung, und glücklichern Behandlung derselben. Wien, 1816.

(*) Elements therapeutique, et de matière medicale. 4. Edition. Paris, 1817.

» l'on desire. Il a de plus cherché à temperer l'activi» té de ce reméde en lui donnant une enveloppe mu» cilagineuse. La formule qu'il suit, est celle-ci : Pre» néz du phosphore, deux grains méles exactement » par une longue trituration avec du mucilage du gom» me arabique en quantité suffisante pour faire avec » six onces d'eau de fontaine une emulsion, ajoutes, une » once de sirop d'orgeat et trente gouttes de liqueur » d'Hoffmann.

» On a proposé de commencer par dissoudre le » phosphore dans l'Ethére, mais les proportions qu'il » donne ne sont pas exactes; Pelletier a procedé » avec plus d'exactitude, en méttant six grains de » phosphore coupé par petits morceaux dans une on» ce d'Ethér sulphurique, rectifié a 65 dégrès; on agite » de temps en temps le mélange pendant trois ou quatre » jours. Ce même pharmacien préparoit des pilules de » phosphore divisé avec de la theriaque et de l'huile de » gérofle; mais leur usage paroit avoir été abandonné. » Conradi faisoit aussi une agréable mixtura en met» tant deux grains de phosphore dans une demi once » d'huille d'amandes douces et une once de Sirop de » framboise, dont le malade prenoit cuillerée tous » les trois heures. M. Alphonse le Roy a proposé de » donner le phosphore sous forme de Looch.

» D'aprés son procédé on le met dans l'eau trés » chaude, dans la quelle il se fond, on l'agite, et il » se divise à la manière de l'huille en un grand nom» bre de petits globules, on ajoute l'eau froide et il se » precipite en poudre à la dose d'un grain ou deux, » que l'on méle avec sucre, de l'huile et un peu de » jaune d'oeuf, le tout dans un mortier de verre te» nu dans l'eau bien froide, et l'on continue l'opéra» tion pour composer un Looch.

» Mons. le professeur Lanthafait conjoinctement
» avec M. Hecht de Strasbourg on fait des recherches
» pour trouver un dissolvant du phosphore. Il résult
» de leur expériences que quatre grains de cette sub-
» stance sont solubles dant une once d'huile grasse,
» et qu'un grain se dissout dans un gros d'Ethère.
» Il est vaissamblable que la solutiou du phosphore,
» au moyen des huiles, éprouve une sorte d'altera-
» tion après son introduction dans l'estomac, et c'est
» la une de causes des dangers qui accompagnent son
» emploi. Quand à la dissolution de l'Ethere. Il est évi-
» dent qu'on ne doit pas s'en permettre l'usage puis-
» quelle ajoute encore à l'énérgie, et consequement au
» danger du phosphôre.

» Du reste pour donner le phosphore avec avan-
» tage et sans danger, il faloit trover un dissolvent
» qui empéchat dans tous les cas sa combustion spon-
» tanée et dissipat toutes les craintes qu'on pou-
» roit avoir sur les effets nuisibles de son usage in-
» terne.

» Mr. Lescot pharmacien de Paris a éprouvé en
» consequence que le phosphore se combinoit faci-
» lement avec une melange composé de trois partie
» et demi d'hydrogène, de deux parties de Carbone
» et d'une demie partie d'oxygene, à l'aide d'une tempe-
» rature de quinze à vingt dégrés au dessus de zero.
» Non seulement une substance aussi combustible que
» le phosphore se dissout complétement dans cette
» circonstance, mais la liqueur conserve constamment
» son homogéneité et sa transparance, ni le repos,
» ni le temps n'opérent le moindre précipité, et on
» n'a à craindre ni la combustion, ni le dégagement
» d'aucune lueur phosphorique, ce qui rassure com-
» pléttement sur les danger d'une application trop

» immediate au corps humaine. D'ailleurs, cette dis-
» solution n'a d'autre odeur que celle de l'hydrogène,
» phosphore et carbonne reduit à l'etat de gaz, et conser-
» vent toutes les propriètés energiques qui leur appar-
» tient comme corps medicamenteux. M. Lescot pré-
» pare donc pour l'usage de la matiere médicale une
» liqueur composée de seize grains de phosphore par
» once du dissolvent dont on vient indiquer les ele-
» ments, ce qui donne deux grains de phosphore
» par un gros de liqueur. Les médecins peuvent par-
» consequent procèder a la préscription intérieure
» du phosphore et en fractioner convenablement la
» dose, sans qu'il y ait désormais à redouter les
» effets sinistres qui ont pus résulter de l'incèrtitude
» attachée aux autres modes d'administration. Ils
» pouront le donner, sous forme de potion, en bois-
» son, et en pilules etc., il leur suffira de verser un
» gros ou deux de la liqueur phosphorée dont il s'agit,
» dans la quantité de vehicule qu'ils jugeront ne-
» céssaire. Si quelque jour les vertues médicales du
» phosphore se confirment d'une manière décisive,
» il n'est plus douteux, que le procédé pharmaceutique
» de Mr. Lescot ne soit d'un grand avantage pour
» l'art de guerir. «

Dr. Lobstein Argentoratensis felici cum successu phosphorum externe et interne, in multis morbis chronicis adhibuit. Etiam Dr. Lobstein Loebel loquitur de phosphoro, ut remedio heroico contra plurimos morbos, existimatque optimum medium phosphorum dissolvendi, esse oleum animale Dippelii. Doct. Robbi publicavit ultimis temporibus plures observationes, quae hujus remedii insignem efficaciam demonstrant. Hic tantum sequentes duas formulas

adferam, quarum prima usum phosphori internum, altera externum adtingit:

R. Phosphori urinosi. gr. iv. — Solve in
Aetheris sulphurici.
Olei animalis Dippelii. āā drachm. duabus.
Olei cinnamomi. gutt. viij.
M. d. S. octo guttae pro dosi.

Experientia sola docebit, quoties haec dosis in peste intra viginti quatuor horas repeti possit.

Formula pro usu externo.

R. Phosphori urinosi. gr. viij. — Solve in
Olei amygdalini. unc. dimidia.
Olei cajeput. drach. dimidia.
Camphorae dr. ij et dimidia.
Misce exacte.

Doct. Adolph Goeden (*) asserit, nullum remedium in typho contagioso magis efficax esse, quam acidum phosphoricum. Existimarem non inutile futurum, si cum hoc remedio in peste experimenta suscipientur. Optima forma remedium hoc in typho praescribendi, sequens est:

R. Acidi phosphorici. unc. i—ij.
Mucilagin. semin. cydonior. in consistentia
Aquae rosarum parati. unc. viij.
Haec dosis est pro una die.

Omnino notum est, plures medicos arseniatem potassae, in febribus intermittentibus rebellibus multum laudare. Non vocabo in dubium magnam ejus virtutem, sed ipse nunquam remedium hoc, in hac specie morbi adhibere volui, adversus quem plura

(*) Goeden von der Arzneykraft der Phosphorsäure gegen den ansteckenden Typhus. Berlin, 1815.

alia remedia salutaria possidemus. At cum nullum remedium noscamus, quod solum et unicum, nobis vel minimam spem in peste polliceretur: conveniens esset, ut etiam cum hoc remedio, cujus actio adeo celer est, tentamina, prudenter tamen instituerentur, semperque ad principium, quod jam protuli, redeo, remedium, quod maxime pesti congruum sit, oportere adhuc nova via quaerere; et certe nulla spes est, id inter alia remedia inventum iri, quam inter ea, quorum actio celer, jam exemplis anterioribus innotuit. Non dissimulo autem remedium hoc summam cautionem requirere, et id non esse utile, si post ejus usum nimiae et frequentes evacuationes alvi sequantur.

Cum quadam voluptate hic adfero, me cum gaudio in opere Doct. Ferriar, quod Londini in tribus voluminibus anno 1810 in lucem prodiit, observationes notatu dignas invenisse, quae confirmare videntur tentamina, quae cum arsenico facienda propono. Medicus hic celebris narrat, consuete versus autumnum oriri in urbe Manchester, febres remittentes, inter quas nonnullae adeo rebelles sunt, ut omnibus remediis usitatis pertinaciter resistant. Permulti casus infelices cöegerunt Doctorem Ferriar, aliud remedium quaerere, quod magis tonicum esset, quam China et ferrum. Ex analogia febrium intermittentium, elegit is arsenicum, brevique occasionem habuit id in febribus remittentibus periculosissimis adhibendi, observavitque id in his remedium certum esse. Consuete reddit id jam secundum paroxismum debiliorem, si eum non penitus exstinguit, quin ullum noxium effectum post se trahat. Dat is quinque guttas tincturae cum hoc pharmaco saturatae, singu-

lis quatuor horis, et raro hanc quantitatem transgreditur.

In uno casu febris remittentis, quae per sex hebdomadas duraverat, et in altero, ubi ea per duos menses absque levamine symptomatum continuaverat, arsenicum duos aegrotos sanavit — crusta nigra, linguam obtegens, disparuit, urina non amplius sedimentum deposuit, et pulsus fortiores facti.

Postquam D. Ferriar saepius hoc remedium contra febres remittentes adhibuisset, voluit id etiam in ultima periodo typhi tentare, ubi nec China, nec vinum, nec spiritus vini, nec balnea frigida, nec piper Cayennense amplius vim vitalem excitare, nec disparitionem crustae linguam obtenegentis promovere poterant. Adnotat autem febrem post usum arsenici, certe intra tres dies, disparuisse; monetque arsenicum tantummodo tunc non esse congruum, ubi diarrhoea vel nausea adest, in quo casu opium ei cum utilitate adjungi posse. Monet praeterea, ubi paroxismi desierunt, redeumdum esse ad chinam. (*)

Formula hodiedum maxime a medicis usitata, arsenicum praescribendi, est Doctoris Fowleri: sume oxydi albi arsenici in pulverem subtilissimum contusi, — alcali vegetabilis puri, singulorum grana sexaginta; aquae fontis destillatae libram dimidiam; coque in phiala vitrea in balneo arenae, usquedum arsenicum prorsus solutum fit; solutioni huic adde: spiritus Lavandulae compositi libram dimidiam, plus vel minus, ut totum, libram unam efficiat. Dosis hujus medicinae sunt decem guttae, quas medicus diu et noctu, toties sumere jubebit, quoties id neces-

---

(*) Salzburger medicinisch-chirurgische Zeitung. 1813. I. B. S. 95.

sarium esse judicaverit. Vis hujus remedii, constitutio, et aetas aegroti, — medicum in ejus usu ducere debent; isque bene perpendet, an actio tumultuaria remedii hujus, utilis esse possit, vel an oporteat doses decernere, ut id in febribus intermittentibus fieri solet? Vide Alibertum. (*)

Quaeri potest, an ab arseniate potassae omnia emolumenta obtineri poterunt, quae ab eo in peste expectanda essent, si is vehementer agat, et vomitam, aut etiam evacuationes alvinas nimis augeat? — Optarem, ut etiam arsenicum sulphuratum tentaretur, quod Professor Hecker felici cum successu in febribus intermittentibus adhibuit, et quod in dosi dimidii grani cum pauculo sacharo, et oleo anisi, omni hora exhibuit. Omnia ea, quae Doctor Hecker adfert, demonstrant, remedium hoc mitius esse, quam arseniatem potassae, et hinc majoricum securitate exhiberi posse. Ratio id parandi sequens est: sume partes aequales sulphuris et arsenici albi, immitte eas catino vitreo, impone hunc sabulo, hocque igni expone, qui gradatim augendus est; sub initium apparet tantum sulphur, dein arsenicum sulphuratum, initio coloris candidi, ultimo obscuri. Tandem invenies in fundo catini massam subrubram, quae est arsenicum cum sulphure intime conjunctum; partes metallicae arsenici, quae fortassis adsunt, diligenter separandae; residuum autem in pulverem contunditur, et adservatur usui. (**)

Remedium hoc simillimum illi est, quod ex Chi-

(*) Nouveaux elements therapeutique, et de matière medicale. 4. edit. V. I. p. 477.

(**) Hecker Annalen der Heilkunde. Berlin, 1810. 2. Bd. p. 41.

na sub nomine Tiun-Isui adfertur, et quod Chinenses fere pro medicina universali habent. Est id jam a longissimo inde tempore in oriente celebre, quo ibidem homines ut sternutamento utuntur. Actio hujus remedii in membranam Schneiderianam, secundum meam propriam experientiam, multum superat, alia remedia sternutamentum moventia. Multos homines in Graecia noveram, qui id sub initium coryzae, vel hemicraniae adhibebant.

Secundum Analysin a D. Claproth Berolini institutam, id nihil aliud est, quam Realgar. Phialae rubrae, quibus Siamenses in multis morbis utuntur, infundendo in eas per aliquot tempus potum acidulum, sunt ex Realgar, vel arsenico sulphurato factae. (*)

Capiti huic finem imponere non possum, quin de remedio loquar, quod semper celebre fuit, non solum ut tutamentum contra pestem, sed etiam ut remedium eam curandi, nempe de sulphure. Erat id a compluribus medicis multum dilaudatum, praesertim si ei theriaca, vel camphora adjungeretur. Silentio praetereo diversas formas id exhibendi, ut plurimum monstruosas, et nimis complicatas, quas medici proposuerunt, et venditarunt.

Nos iis temporibus vivimus, ubi ars medica, etsi ea non sit plane perfecta, certe tamen eam simplicitatem adepta est, quae et rationi magis conveniens est, et ob quam ea majorem aestimationem meretur.

Fridericus Hoffmannus narrat, senem quendam

(*) Histoire de l'academie de sciences années 1705. 1705. p. 51.

medicum, ut remedium antiloimicum, magnocum emolumento sequens electuarium adhibuisse:

Sume: Roob Sambuci — Mellis — utriusque libram dimidiam.
Sulphuris nativi in pulverem contusi, unciam unam.
Camphorae, drachma unam.
Exhibuit hoc remedium quotidie a drachma una, usque ad duas.

Etiamsi simplicitatem hujus remedii probo, non approbo tamen doses, quae sub omnibus circumstantii non videatur sufficere. Nam in morbo, cujus progressio consuete adeo rapida est, duae doses remedii re ipsa insontis, nequaquam sufficiunt; persuasusque sum, id etiam octies, vel duodecies, iisdem dosibus intra nycthemerum administrari posse, quin inde ullum periculum extimescendum sit.

An conveniret eadem ex caussa, et eodem scopo, tentare sulphuretum alcalinum solum, in quantitate unius scrupuli, vel cum camphorae granis 5 — 10 pro singula dosi, singulis horis exhibendum? Remedium hoc, quocum nemo hucdum periculum fecit, meretur certe tentari, non minus ac assa foetida. (*)

(*) Scarlatina maligna interdum adeo letalis est, ut ipsa pestis. Experientia docuit, remedia maxime congrua, nihil in ea profuisse.

Joh. Collins, postquam absque ullo emolumento corticem peruvianum in ea adhibuisset, adserit, se feliciori cum successu sequens remedium exhibuisse:

Sume: Capsici annui (piperis rubri), duo cochlearia.
Salis communis, duo cochlearia caffeana,
et totum bene contundatur.
Infunde his mediam mensuram (Pinte) aquae frigidiae; refrigeratis, adde adhuc mensuram dimidiam aceti vini. Adultus sumat hujus remedii cochlear unum omni bihorio.

Medicus Anglus Maclean, quem Viennae mense Decembri anno 1815 vidi, volens pestem cognoscere, decrevit Londino Melitam proficisci; redux inde adseruit mihi, se tantum notitias imperfectas de peste, quae ultimo insulam hanc afflixerat, obtinuisse. Directe Constantinopolin profectus, se in nosocomium Graecorum inclusit, et cum in eo aegrotos tetigisset, ipse post viginti dies a peste fuit correptus. Cum autem neminem haberet, cui se confidere potuisset, et compos mentis esset; ipse se curavit. Remedia, quae se adhibuisse adseruit, erant calomel in dosi 6 — 8 granorum omni bihorio cum opio sumptum; praeter ea sumsit singula vespera, drachmam unam tincturae cantharidum, et totidem laudani, atque vini antimonii Huxhami; unde copiosi sudores proruperunt, at bubones ad suppurationem non pervenerunt; et sub finem viginti dierum penitus convaluit.

Dr. Grohmann (*) affirmat, se etiam tincturam cantharidum apud peste adfectos, cum utilitate adhibuisse, sed de hac re ulterius non loquitur, quod tamen jure ab eo exspectari potuisset.

Egomet ipse credo, conveniens esse, ut remedium hoc in peste adhibeatur; verum emolumentum ab eo tantum tunc exspectari poterit, si id debita

---

Vide: medic. Communications. V.2 p. 372. Stephens in Duncans medical. Commentairies 1787, narrat etiam, se hoc remedium pluribus, quam 400 aegrotis exhibuisse. Vide quoque praelectiones avunculi mei. Cap. de scarlatina. N. 7. an non oporteret remedium hoc etiam contra pestem tentare?

(*) Grohmann. l. c.

cum prudentia, quam scientia et ars docet, exhibitum fuerit. A longiori inde tempore notum est, medicum Hillary tincturam cantharidum, in dosi viginti guttarum, magnacum utilitate, in febribus nervosis, cum nimia adynamia exhibuisse. (*)

ANIMADVERSIONES
de usu remediorum externorum in peste.

Jam antea adnotavi, in multis casibus incongruum esse, si pestis tantum remediis internis oppugnetur, speroque neminem medicorum sententiam meam vituperaturum. Nimia sensibilitas, aut torpor ventriculi nonnunquam eum gradum adtingunt, ut aegrotus nullum remedium internum perferat; interdum vero aegroti delirantes, omnia remedia pertinaciter respuunt. Nota mihi sunt numerosa tentamina medicorum cum remediis externis, quae in peste susceperunt. At ea, quod probe notandum, tunc sunt facta, ubi medici necdum accuratam cognitionem de resorbtione cutis, nec de ejus sensibilitate, quae intime cum partibus internis connexa est, habebant, nec observationes jatralepticas, quas plures medici, a viginti inde annis fecerunt, nosse poterant.

Existimo igitur redeundum esse ad haec tentamina, et tanto plus ab iis sperandum, si ea debita methodo, instituentur, et cum aliis remediis conjungentur. Ob hunc finem credidi me adhuc therapiae cum remediis externis immorari, et circa eas observationes adferre debere, quae medicum in similibus investigationibus ducere possint. — An non agit

(*) Observ. on the diseases of the Island of Barbadoes. Lond. 1759. p. 39.

persaepe miasma pestilentiale in systema lymphaticum, et in cutim humanam? An poterimus ex adplicatione variorum remediorum in superficiem cutis, quospiam effectus salutares exspectare?

His praemissis mentionem hic adhuc facere debeo felicium tentaminum, quae medicus Samöelovitz, cum frictionibus glacialibus fecit. Quamvis autem hoc remedium in Aegypto adhiberi non possit, commemorare tamen hic debeo, prosperos effectus, quos adspersio cum aqua frigida, in morbis typhosis habere solet.

Si considerem celerem effectum, ubi sub initium typhi contagiosi, corpus aqua frigida, perfunditur, et levamen, quod exinde oritur: pronus sum ad credendum, nullum remedium majorem spem, pestem supprimendi offerre, quam hoc ipsum. At cum decursus hujus morbi, quater et quinquies rapidior sit, quam decursus typhi, oportebit etiam in eo, in hac ratione frequentius perfusiones has repetere.— Loquutus sum in antecedentibus de utilitate frictionum cum oleo in sananda peste, quorum effectus e diametro, perfusionibus cum aqua frigida oppositus est. Lector videt hic miram contradictionem. Sed cum utilitas frictionum, hucdum non satis evidenter, et per sat numerosas observationes demonstrata sit; audeo hic medicos practicos provocare, ad duas hasce investigationes, quamvis sibi oppositas,— pari studio et diligentia instituendas. Experientia sola, hominibus soli theoriae inhaerentibus, silentium imponere potest.

Dr. Palkner (*) medicus exercitus Anglici in insula Melita, affirmat se cum utilitate perfusiones cum

(*) Salzburg. medic. chirurgische Zeitung. 1814. 4. B. p. 274.

frigida in peste adhibuisse, et alter itidem medicus Melitensis adserit, quendam peste adfectum, ex ea sanatum fuisse; postquam se bis in mare praecipitasset.

Practici medici, judicio pollentis erit, casus designare, in quibus perfusio cum aqua frigida conveniens erit, et quoties ea repetenda? Complures medici materiam hanc diffuse pertractarunt, ubi de morbis typhosis loquuti sunt. Mea quidem opinione Doctor Reuss (*) hac de re optime scripsit. Etiam D. Onofrio qui Nojae tempore pestis, anno 1815. praesens fuerat, narrat, perfusionem cum aqua frigida, evidenter apud peste adfectos deliria sopivisse, sed non omnia, quae scitu digna essent, adfert, quod tamen jure ab eo exspectari potuisset (vide: Detaglio istorico della peste di Noja, in provincia di Bari: Napoli 1817).

Observationes Samöelovitzii, Currii aliorumque, hanc experientiam confirmant. Cum in Aegypto aqua nunquam satis frigida sit, existimarem adspersionem cum ea, ad minimum quater per diem, immo etiam per plures dies, esse reiterandam. Regula nota est, desistendum esse a perfusione, ubi sudores prorumpere incipiunt.

Cum innumerae circumstantiae occurrant, ubi impossibile est, perfusiones cum aqua frigida adhibere; suaderem, ut in tali casu, totum corpus aegroti, omni quadrihorio, spongia aqua imbuta, lavaretur. Hoc remedium non minus simplex, ac facile est, quo ego admirando cum successu Corcyrae in typho graviori usus sum.

Observationes Wrightii et Currii de adspersione cum aqua frigida, videntur, alteri parti saeculi prae-

(*) Von den Exanthemen. Aschaffenburg, 1814. p. 300.

teriti deberi, sed si ea investigemus, quae jam saeculo XVII. facta sunt, reperiemus nivem jam tunc fuisse prospero cum successu in febribus ardentibus externe adplicatam. (*)

Vbi de eo agitur, ut apud Turcas, adspersio cum aqua, vel similia remedia adhibeantur, meteundum est, eos nequaquam id admissuros, etsi ab iis felix, successus sperari posset. Apud nationem adeo superstitiosam et ignaram, oporteret aliquid mysteriosi, immo etiam scriptum quodpiam mysteriosum his adjungere. Nam tantum ope similis stratagematis fiducia eorum obtineri potest. — Si percurramus historiam medicinae, inveniemus sane, unum e primis remediis, quibus homines ad conservandam sanitatem, aut ad sanandos morbos utebantur, fuisse aquam frigidam. Pauci antiqui auctores exstant, qui ejus usum in plurimis morbis non suasissent. Sufficiat hic meminisse, jam Coelium Aurelianum narrare, Asclepiadem aquam frigidam in peste suasisse (**). Sub initium saeculi XVIII. Sanchez Messinensis, et Jodocus Panormitanus, celebres ob id fuere, quod affirmaverint, se fere omnes morbos ope aquae frigidae, nivium, et glaciei curare posse.

Dr. Sanchez singularem methodum febres acutas malignas curandi habuit. Suscepit is aegrotos, qui nullam spem sanationis amplius offerebant; collocavit eos super lodicem, qui ope quatuor laciniarum suspendebatur, dein contexit eos nivibus usque

(*) Acta nat. curiosor. D. 11. anni VII. p.36. sicut et Bartholinus de nivis usu Havniae, 1661.

Haec sunt, quae inveni in Ephemerid. nat. curios. D. 11 anni VII. p. 130.

(**) In libr. de morb. acut. et chronicis. Amstelodam. 1755. in 4. p. 43. 44.

ad os; post jussit agrotum ut in incunnabulis agitari usquedum aegroti sudare coeperunt; observavit simul eorum pulsus, et credidit se judicare posse, quousque haec agitatio continuari deberet. Affirmat is, se ex quadraginta aegrotis, tantum quatuor amisisse. (*)

Observationes inde a viginti annis, de efficacia resorptionis cutis institutae, medicis, quos fatum in Aegyptum feret, magnum motivum esse poterunt, ad methodum anatripsologicam in peste tentandam, ex qua eximiam utilitatem exspectare liceret. Qui se his investigationibus dicare voluerint, recte agent, si de hac materia opera DD. Brera et Chrestien quorum uterque multum argumentum hoc illustravit, consuluerint. Remedia quae hoc scopo inprimis adhiberi deberent, sunt camphora, — variae species aetheris etc. Stupendi effectus, quos tartras lixiviae stibiatus cum adipe mixtus, in superficie cutis producit, et cujus remedii, quaedam pars fortassis absorbetur, argumento esse possunt, ad facienda cum eo tentamina etiam in peste. Actio ejus promtior reddi potest, aut augendo ejus consuetam quantitatem, aut applicando eum majori superficiei corporis. Semper tamen memoria tenendum, omne momentum temporis apud peste adfectos, summi esse pretii.

Existimo etiam congruum fore, si frictiones alcalinae alternatim, cum fortiori unguento, cum opio remixto, tentabuntur; quae tentamina mihi tanto magis necessaria videntur, cum persaepe impossibile sit, media haec, interne, exhibere, aut ob delirium, vomitum, vel ob deglutitionem impeditam. Plura experimenta in animalibus et homi-

---

(*) Commerc. liter. Norimberg. anni 1736. p. 153.

nibus instituta, demonstrare videntur, actionem remediorum venis injectorum, multo fortiorem esse, quam si ea, a cute absorbeantur.

Cum id certum sit, licebit fortassis quempiam effectum salutarem exspectare, si injectiones in venas tempore pestis factae fuerint; at hoc tentamen tantummodo a medico judicio gravi pollente, et exsperto suscipi deberet, cui etiam delectus remediorum, et cautelae in re adeo gravi observandae, relinqui deberent (*). Non erit inconveniens medicos interrogare, qui uno ore affirmant, in peste adfectos, fortibus — stimulis esse agendum, cur ii de frictionibus cum aethere sulphurico, nitrico, acetico, vel etiam cum alcali volatili instituendis, nunquam cogitaverint? Quaeri porro potest, an non liceret in defectu acidi acetici, huic vapores aceti, ope lapidis, vel ferri calidi excitandos substituere?

Cum nullus medicorum diversa haec remedia, methodo a me nunc indicata adhibuerit, certe magnae erit voluptati medico, qui exinde felicem effectum obtinebit, et is certo etiam arti magnum emolumentum adferet. Jam antea dixi, multos occurrere in peste casus, ubi impossibile est, remedia interne propinare. Si medicus decrevit mercurium in frictionibus adhibere, suadeo, ut is loco unguenti mercurialis consueti, potius unguentum simplex sumat, eique unam aut duas drachmas oxyduli hydrargyri nigri intermisceat. Superfluum fortassis esset, si hic adnotarem, remedium hoc non solum in magnis dosibus adhibendum, sed etiam singulis

---

(*) Consule: Discorso della transfusione del Sangue, delle injezioni de' rimedi nelle vene, recitato da Giov. Pozzi. Milano, presso Sylvestri. 1813.

sex horis reiterandam esse, ut hac ratione intra viginti quatuor horas, totum corpus aegroti, pluribus unciis unguenti mercurialis simplicis quasi obtegatur (*). Si opium adhibere velis, oportet id adhibere, in dosi decem, usque viginti granorum, miscendo id ad minimum cum una uncia unguenti communis. Sed quodcunque unguentum externe adplicare volueris, memineris id pluries intra 24 horas, pro ratione circumstantiarum illiniendum esse.—Camphora in pulverem redacta, et praesertim sub axillas, et inter femora adplicata, secundum meam propriam experientiam, admirandos effectus, apud complures gravissimo typho adfectos, exseruit. Cur non posset hoc idem remedium tempore pestis, toti corpori adplicari? Adhibitae quoque fuere, optimo cum successu fomentationes frigidae, quas capiti typho laborantium imponebant. An non esset congruum, etiam hocce remedium peste adfectis adhibere, praesertim, si cerebrum magnopere sit adfectum? Ubi magna debilitas praesens erat, et ubi aegroti appoplectici esse videbantur, summa cum utilitate imposui capiti typho laborantium, fomenta vinosa, et aromatica; hinc existimarem remedium hoc etiam in peste esse tentandum. In Germania, in ultima epidemia typhi, medici magna cum utilitate adplicabant cauterium actuale ad caput, et in primis ad verticem, ubi jam aegroti videbantur perituri. Cur non possent etiam cum hoc remedio complura tentamina in peste fieri? —

Emolumentum indubitatum, quod sudores in peste adferunt, adtentionem medicorum necessario convertere debet, ad salutarem hanc crisin exci-

(*) Vide mea: opuscules de médécine practique.

tandam atque hoc fine oporteret in totam superficiem corporis agere, quae consuete in simili casu, aut relaxari, aut excitari debet; prius obtinetur, si corpora pinguia ei adplicentur, quod frictiones oleosae demonstrant; posterius, si lateres calefacti, linteis, prius aqua et aceto humectatis inolvantur, et ad pedes, crura, et sub axillas aegroti adplicentur. Turcae ad eundem effectum obtinendum, totum corpus hominis a peste correpti, argilla in aqua ad formam luti soluta, obtegere solent, habentque id pro remedio refrigerante, et ad sudores excitandos apto.

Dr. Minderer (*) simile quid, et ut existimo, adtentione medicorum omnino dignum narrat. Quidam nempe tribunus militum Cosacorum graviter sauciatus, quarta jam die febre laborans, in statu fere desperato fuerat. Non parum Doct. Minderer obstupuit, cum eum nudum in terra jacentem, et duos Cosacos ad latus ejus conspexisset, qui continuo pectus et abdomen ejus, cum solutione argillacea humectabant. Petiit is dein lectum, quin se abstersisset. Postquam frigus disparuisset, pulsus liberiores sunt facti, et sudores sat profusi prodierunt, sub quibus crustae argillaceae deciderunt. Die proxime subsequente, aegrotus absque febre fuit. Idem tribunus militum Doctori Minderer narravit, in patria sua hac ratione omnes fere febres felicissimocum successu percurari. Quamvis hoc remedium tantum in nosocomiis adhiberi posset, non esset tamen penitus negligendum.

Ea, quae hic retuli, videntur nos ad ulteriorem investigationem hujus rei incitare; hinc optarem,

---

(*) Beyträge zur Kenntnifs und Heilung der Pest. Riga, 1790, p. 82.

ut similia tentamina cum sulphureto lixiviae, et calcis fierent; quibus paucula aqua admisceri deberet, quo sic plura strata superficiei corporis aegrorum peste laborantium, illiniri possent. Ego semper audaces, et fortassis etiam periculosas theorias, ut scopulos vitavi, curationesque meas magis secundum analogiam, quam secundum speculationes mere theoreticas institui. —

Aliud porro remedium, a quo medicus practicus quoddam emolumentum trahere posset in hoc morbo, de quo agitur, — est lixivia pura, vulgo lixivia saponariorum, plus minusve diluta, cum hac aegrotus pluries per diem, in primis si cutis ejus arida et insensibilis sit, esset lavandus.

Non obliviscendum praeterea, multum etiam a frictionibus cum tinctura cantharidum instituendis, sperari posse.

Hodierna medicina offert nobis adhuc aliud magni momenti remedium, quo fortassis terribilis hic morbus majori cum gloria debellari posset, et quod ego primus propono, nempe subfumigationes sulphureae, secundum methodum D. Galès instituendae. (*) Tentamina, quae hicce vir, cum hoc remedio, a pluribus inde annis, — in morbis cutis inveteratis, et in primis in herpete fecit, evidenter demonstrant, remedium hóc ad sudores excitandos esse heroicum: et quisnam morbus hoc remedium magis exposceret, ac pestis? Postquam inventio haec ita perfecta est, ut vapores sulphurosos ope machinae, versus totam corporis superficiem, absque ullo in-

---

(*) Memoire et Rapporte sur les fumigations sulphureuses appliquées au traitement des affections cutanées, et de plusieurs autres maladies. Paris, 1816,

commodo dirigere possimus, et ex propria experientia noscamus, calorem ope ejus, ad quinquaginta usque gradus thermometri Reaumiriani augeri posse; jam in antecessum optimam spem de hoc remedio concipere possumus. Ego polliceri ausim, ejus effectum prosperum futurum; et credo me satis fecisse, si medicos permovero ad similes machinas, duplici ex scopo, nempe ad curationem morborum cutis, et pestis,— Constantinopoli, Salonicae, Smyrnae, et in Aegypto erigendas.

Medicorum erit duce experientia, casus morborum determinare, in quorum curatione talia fumigia necessaria essent, et quoties intra viginta quatuor horas ea adhiberi deberent?

Omnia jam exposui, quae necessaria mihi videbantur, ad investigationes circa pestem instituendas, et ejus curationem perfectiorem reddendam; sed antequam rei huic finem imponam, monere debeo, ea quae de his tentaminibus dixi, nequaquam a tyronibus in arte medica debita ratione perfici posse; sed non horum caussa ideas meas hic exposui, sed medicos doctos et expertos prae oculis habui. Hi poterunt medicamenta adlata modificare, dosin eorum, et legitimam methodum ea propinandi designare.

Tentamina, quae proposui, tantum in nosocomiis institui poterunt. Praeterea pernecessarium erit, ut medicus, qui curationem peste adfectorum in se suscipere voluerit, cum iis inclusus in nosocomio maneat, quo sic exacte administrationi remediorum praescriptorum invigilare, effectus eorum observare, et eorum formam, quoties id circumstantiae exigent, mutare possit. Sub hac sola conditione, cujus periculum non ignoro, exactae observationes

instituí, et omnia gravia momenta in usum trahi poterunt. Si enim medicus aegrotum, morbo adeo acuto adfectum, semel, aut bis tantum intra nychthemerum viderit, si alias ob causas animus ejus dissipatus fuerit, scopum propositum nequaquam obtinebit.

Hinc ad hujus generis investigationes requiruntur viri debita cognitione instructi, zelosi, et parati etiam ad vitam suam in emolumentum generis humani sacrificandam. Si in quapiam provincia pestis exoriatur, sperandumne numerum sufficientem talium philanthroporum inventum iri? Fuerunt quidem homines, qui heroico animo praediti, se huic muneri consecrarunt; sed possidebantne ii eas qualitates, quae ad id rite gerendum requiruntur? erantne exacti observatores, et in historia terribilis hujus morbi satis versati? Nequaquam. Quaeritur nunc, quo modo in posterum huic malo consuli possit? Equidem nullum aliud remedium huic scopo aptum video, quam quod nunc exponam. —

PROPOSITUM

qua ratione curatio pestis perfectior reddi posset.

Provinciae, quae maxime invasioni pestis expositae, pro ratione sui situs versus Turciam se minime ab ea tutari possunt, sunt partim dominationi Imperatoris Russorum, partim Imperanti Austriae subjectae. Hinc proprio horum monarcharum commodo et saluti populorum, quos regunt, conveniens esset, si eis placeret, propositum meum, quod hic communico, amplecti; cujus dignitas ut eo magis elucescat, liceat mihi nonnullas animadversiones praemittere. Si historiam epidemiarum pestiferarum

cum adtentione examinaverimus, reperiemus, optimos quosque medicos, in summo dubitatione haesisse, an morbus susspectus, qui se quandoque manifestaverat, pestis, vel alia species morbi esset? Consuete in tali casu magna diversitas opinionum occurrit, alii morbum, de quo agitur, pestem revera esse adfirmant, alii malum pro morbo epidemico maligni characteris declarant; pro ratione hujus dissensionis inter medicos, relationes quoque diversae magistratibus submittuntur. Hi medicos suos maxime celebres, et facultates medicas (sit venia morbo) in consilium vocant, scribitur et rescribitur; professores ad investigandum morbum exmittuntur, et hac ratione tempus sat longum praeterlabitur, antequam opinio decretoria, de morbo lata sit. Hoc intervallo temporis medici adhibent medicamenta, quae jam millies in cassum adhibita fuere; et student morbum ope remediorum vomitoriorum, aut alvum moventium ad sanationem praeparare, quo sic tandem ad medicamenta analeptica, excitantia etc. transire possint. Sed qualicum effectu? Omnes qui curationi pestis operam dederunt, si candidi esse voluerint, confitebuntur, dubium esse, an aegroti superstites, sanationem suam magis robustae corporis sui conditioni, vel vero aliis fortuitis circumstantiis, quam adhibitis remediis, in gratiis referre debeant? Infelix autem morbi exitus, eximiae ejus malignitati, — defectui remediorum — negligentiae consanguineorum et aegroti ipsius etc. adscribitur. Enumeratae hae circumstantiae re ipsa quidem in dubium vocari non possunt, sed una superest, de qua tantopere non conquesti sunt, et quae tamen summi momenti est, nempe imperitia, et dissensio medicorum, quae consuete inter eos locum habet; — praeterea ideae va-

gae, de ipso hoc morbo, et de remediis in eo adhibendis.

Ad malum hoc tollendum, optarem, ut potentibus duobus monarchis, quorum alter in Russia, alter in Austria regnat, placeret seminarium medicorum, curationi pestis destinatorum erigere. Ad scopum hunc obtinendum, videntur mihi viginti anni pro Russia, — et decem pro Austria suffecturi. Iis, qui in hoc seminarium recipi vellent, possent sequentes conditiones praescribi:

1. Candidati hi, deberent esse medici juvenes, talentis et studio insignes, qui artem medicam, jam per quinque annos exercuerunt.
2. Tantum ii essent suscipiendi; qui linguam Turcicam, vel Arabicam, minimum tolerabiliter loquerentur.
3. Deberent se obligare, se duos annos Constantinopoli,— duos Smyrnae,— et duos in Aegypto commoraturos.
4. Eorum officium esset, submittere testimonia sic dictorum consulum, in emporiis Asiae, et maris mediterranei commorantium, quibus confirmaretur, eos cum zelo curationi pestis deditos fuisse.
5. Medici hi tandem ex peregrinatione sua redeuntes, deberent prae aliis, in nosocomiis civilibus, aut militaribus, muneri admoveri, vel aliud quodpiam munus honorificum obtinere: si pestis in quapiam provincia semet manifestaret, deberent aliqui eorum e vestigio medio vehiculi cursus publici, illuc mitti, et quidem eo numero, qui necessarius videretur.
6. Administratio talis seminarii tradi deberet medico aetatis provectioris, qui in oriente commorabatur; medici literas suas ad eum mittere de-

berent, et hic gubernationi de omnibus eventibus referre deberet.

7. Gubernatio suprema his medicis, quotannis, nomine salarii, bis mille nummos Francos, per Consulem solvi juberet.

8. Hoc salarium deberet eis per totam eorum vitam securum reddi.

9. Quotannis deberet hisce medicis, impensis gubernationis, cista cum medicamentis, in pretio quatermille Francorum, sub epigraphe consulis, transmitti; cui mandandum esset, ut is hanc cistam, tantum eo momento medico traderet, ubi se pestis jam manifestasset, et se de eo certiorem redderet, — medicamenta in tali cista contenta, tantummodo peste adfectis fuisse adhibita.

10. Medicus cui administratio tradita est, fruetur annuo salario 4000 Francorum.

11. Si medici ex peregrinatione sua redeuntes, aliquem tractatum de peste publicandum haberent, administratoris erit, ejus impressioni, in forma collectionis vulgandae, invigilare. Impensas impressionis gubernatio solvere deberet.

12. Medicus, qui quodpiam remedium efficax, curandae pestis inveniret, et id per numerosas sanationes in provinciis sui principis probavisset, insignem remunerationem exspectandam haberet.

13. Sub finem singuli lustri, tales medici renovabuntur, et in eorum locum totidem novi mittentur. Hac ratione sub fine vigesimi anni, imperium, quod singulo lustro decem medicos misisset, subductis iis, qui fortassis interea morerentur, haberet praesto, certe sexaginta artis peritos, qui pestem observassent, eam-

que intra hoc tempus, in duabus epidemiis pertractassent.

14. Si ex numero horum medicorum quispiam post decursum quinque annorum, in patriam suam redire nollet, — contraxisset is hac ratione debitum decem mille Francorum, quibus regimini suo obstrictus esset, et consul jus haberet, id ab eo repetendi.

Haec est ni fallor unica, et certa via, terribilem hunc morbum cognoscendi, et ejus therapiam, in quantum id fieri potest, perficiendi, et curationem medicam utilem reddendi, si fortassis pestis aliquam provinciam invaderet.

Jam in antecessum praevideo innumeras objectiones, contra hocce meum propositum prolatum iri. Suadebunt nonnulli convocandos esse solummodo medicos, qui jam pestem tractarunt, eosque in tali casu adhibendos. Sed substitutio haec nullatenus iis respondet, quae proposui; quia medici tales, per longinquas regiones dispersi, hunc morbum tantum per aliquot menses observare poterant, quin eum fortassis unquam adsiduae et perseveranter studuerint; et si eis tempus, et reliquae circumstantiae non permiserant, rationem curationis variare, vel novas investigationes facere: certe peculiarem ejus cognitionem, sibi comparare nequaquam poterunt. Praeterea verisimile est, eos postquam epidemia pestifera desiit, — se cum morbo tali non amplius occupaturos, adeoque si denuo munus adeo molestum suscipere vellent, non majorem, ac prima vice, cognitionem de eo habituros. Brevis haec animadversio adeo evidens est, ut insufficientiam hujus substitutionis satis superque demonstret.

Annuae impensae in decem medicos, et eorum

moderatorem efficerent circiter viginti quatuor millia nummorum Francorum; adjice his sex mille Francos in medicamenta impendendos, summa integra hujus adeo utilis seminarii, non excedet singulo anno triginta millia Francorum.

PROPOSITUM.

Nosocomii pro peste adfectis erigendi.

Cum propositum, quod ad efformandos medicos, qui apti essent, ad pestem in futurum felicius curandam feci, in executione impedimenta habere posset: utile — erit, si huic secundum propositum adjunxero, quod fortassis illos immortales redderet, qui id effectui dare vellent.— Consistit autem id in eo, ut parva nosocomia in diversis emporiis orientis (Levante), et in primis Constantinopoli, — Smyrnae,— Alexandriae, — et Salonicae erigerentur, quorum interna institutio (organisatio), regulis, quae nunc proponam, respondere deberet. Gubernatio extra urbem, in loco salubri, et quantum fieri posset, versus septemtrionem, nosocomium, secundum ichnographiam hic adnexam, erigi curaret, quod viginti, usque ad quadraginta peste adfectos, suscipere posset.

Haec ichnographia est facta ad exemplar, illius ichnographiae, quam meus olim collega et amicus, Doct. Assalini, pro erigendo nosocomio militari, in usum peste adfectorum, proposuerat. Nihilominus ea est mutata, tam quoad dimensionem, quam quoad distributionem localem; et cum laborem hunc peritus architectus perfecerit, blandiri mihi adeo, eam perfecte scopo, cui distinata est, responsuram.

Summa pro sustentatione hujus nosocomii desti-

nata, deberet in manibus consulis esse; administratio autem generalis hujus instituti, medico ad id designato, et a gubernatione, hunc in finem misso, tradi deberet. Sub finem cujuslibet anni, deberet is rationes exactas Consuli tradere; gubernationi autem relationem de omnibus tentaminibus, ab eo susceptis, et rationes, quibus ad ea permotus est, necnon relationem de sectionibus cadaverum, eventibus et casibus singularibus, ac de sequelis — submittere; consignare is simul nomina singulorum aegrotorum, qui sanati sunt, deberet, — atque haec omnia a magistratu loci, testimonio litterarum confirmari curaret. Officium medicorum, diversis talibus nosocomiis praefectorum, esset, mutuum commercium litterarum habere; observationes et cogitationes utiles, sibi mutuo communicare. Administratio talis nosocomii, sicut et homines ad id pertinentes, medici inspectioni tradi deberent, his eos proponeret, et Consul confirmandos haberet.

Medicus regens deberet ad minimum per quinque annos in oriente commoratus fuisse. Redeunti ad gubernationem supremam, quae eum illuc miserat, deberet prae ceteris munus eo dignum conferri; — et si is rem aliquam magni momenti detexisset, danda ei quoque esset remuneratio honorifica ac lucrosa.

Quam felicem me reputarem, si hoc meum propositum, adeo sincerum, et societati civium perutile, a me hic nonnisi adumbratum, a principibus, quorum id interest, acceptaretur, et effectui daretur, antequam finem vitae meae attingerem! Non dubito complures objectiones contra id prolatum iri. Est enim quaedam classis hominum, qui sibi gloriae ducent, si propositum meum oppugnare, et pro-

sternere possent. Sed blandior mihi, non omnes, hisce eorum tentaminibus in errorem inductum iri.

Monarchae alunt exercitus plus minusve numerosos, ad deffendendas terras suas, et impetus hostium repellendos. Ii quorum provinciae cum imperio Ottomanico collimitaneae sunt, necessarias habitationes erigunt, ubi peregrinatores, et merces, ex ditionibus Ottomanicis venientes, per quadraginta dies retirentur (quarantena), et praesidia limitanea, ac praeterea exercitum intertenent, ad cohibendum, ne terribile hoc malum in eorum provincias irrepat; et tamen non obstantibus hisce praecautionis remediis, ditiones eorum non sunt saecurae ab ejus introductione. An non igitur oporteret, aptos et expertos medicos, pro hac parte hygienae publicae habere; ut exempli gratia principes, mathematicos militares, pyrobolarios etc. alunt. Plurimae gubernationes magnas impensas faciunt in observationes astronomicas, et nauticas; mittuntur eruditi naturae scrutatores in omnes orbis partes, ut inde plantas, animalia, et mineras adferant. An non aeque magni momenti res esset, si in medio nostri viros haberemus, qui jam pestem tractare consueverunt: et qui praeter zelum singularem, cognitione quoque accurata et practica, hujus morbi gravis pertractandi, praediti essent?

Guvernatio suprema nequaquam habet nimias expensas extimescendas, quae talia nosocomia requirerent, quorum adeo insignis utilitas esset. Adnotandum hic praeterea talia nosocomia tantum tempore pestis apertum iri; et tantummodo paucis individuis fixa salaria fore assignanda. Medicus regens, et chirurgus, soli sunt, quibus salarium annuum, defixum solvi deberet.

N. I.

Numerus personarum pro nosocomio peste adfectorum.

1. Medicus regens.
   Ejus adjunctus.
2. Chirurgus superior.
   Ejus adjunctus.
3. Pharmacopola.
   Tyro pharmacopolae.
4. Superior aegrorum minister.
   Quatuor ministri aegrorum.
5. Sacerdos.
6. Scriba.
7. Oeconomus.
8. Coquus, — duo ejus adjutores.
9. Janitor
10. Duae lotrices.
11. Quatuor vespillones.

Numerus hic hominum, videtur primo obtutu pro nosocomio 20-40 peste adfectorum justo major esse; sed cogitandum, duos ministros infirmorum interdiu, et alios duos noctu praesto esse debere; praeterea accidere posse, ut citius aut tardius, aliquis eorum morbo adficiatur, ubi tunc ei non e vestigio alter substitui potest. Idem de vespillonibus, et lotricibus valet.

N. I.

Officia medici nosocomii, peste adfectorum.

Oportet ut medicus nosocomium regens (director), ad id quantum fiere potest adtentus sit, ut aegroti in id admittendi, ipsa die infectionis, vel ad sum-

mum mane diei sequentis, illuc transferantur. Hoc fine deberet is aptum chirurgum Turcium habere, qui erga remunerationem, se in domicilia aegrorum conferret, et decerneret, an ii pro ratione eorum conditionis, admitti in nosocomium, vel ab eo excludi deberent.

Medicus regens conscribet exacte diarium, in quo omnia consignabit, quae internam administrationem hujus instituti attingent. Singulus casus pestis erit describendus, et praescriptiones remediorum, modus ea administrandi, quemadmodum et eorum effectus, exacte adnotandi. Elapsis singulis quindecim diebus, transmittet medicus consuli relationem generalem; de omnibus, quae in nosocomio observavit, et hic eam supremo regimini submittet. Cum in tali nosocomio summa obedientia observari debeat, erit in hoc nosocomio carcer ad puniendos, eos, qui peccassent. Pernecessarium etiam erit, ut chirurgus et pharmacopola, medico regenti obedientia teneantur. Unum e praecipuis officiis chirurgi erit, — post deligationem vulnerum, — cadavera ex intentione medici regentis dissecare. Medicus autem sub finem epidemiae, inter alia consuli proponet praemia extraordinaria, quae iis dari deberent, qui assiduitate sua et studio, ea durante insignes fuerant. Demandandum quoque medico erit, ne patiatur nimis cito cadavera sepeliri; cum multa exempla adsint, peste affectorum, qui post asphyxiam, vel mortem apparentem, sponte in vitam redierunt, ut in operibus Alexandri Benedetti, Dimerbroeckii et Paponis legi potest.

Ab infinitis inde temporibus affirmarunt, ulcera artificialia, et fonticulos tueri contra pestem. Dimerbroeckius allegat magnum numerum medicorum,

qui hoc remedium ut certum suaserunt, et affirmat, se ipsum observasse, quod, si quodpiam individuum fonticulum habens, a peste corripiebatur, id facilius e morbo hoc evadebat. Cur quaeso cum similibus tutamentis nunquam tentamina facta sunt? Optandum igitur esset, ut omnes ii, qui semet frequentius contagioni pestis exponunt, et in primis medici, chirurgi, et ministri aegrorum peste laborantium, fonticulos gererent.

Omnia individua, in nosocomio, in quibus peste affecti jacent, inclusa, debebunt semet quotidie cum quadam portione olei inungere. Solus medicus diligenter contactum aegrorum vitabit, quemadmodum etiam ea individua, quae sua munera in nosocomio gerunt.

N. II.

De Pharmacopoeo in nosocomio peste adfectorum.

Praeter utensilia in parvo pharmacopoeo necessaria — linteum vetustum, — linteum carptum, et ligamenta praesto esse debebunt. Rationem quoque habebit medicus, ut pharmacopolae singula hebdomada pecunia, ad solvendas quotidianas expensas necessaria detur.

Medicamenta composita, in quantum id fieri poterit, ex optimo pharmacopoeo metropolis ementur; oportebit quoque eorum sufficientem quantitatem jam in antecessum procurare.

Quod ad remedia simplicia adtinet, consuete ea in oriente (Levante) mediocri pretio haberi possunt.

DE

OPHTHALMIA AEGYPTIACA.

DE OPHTHALMIA AEGYPTIACA.

Plures visu privari ex imperitia applicandi collyria, quam ex ipsa morbi vi et magnitudine.

Hoffmann. Dissert. de erroribus vulgaribus circa topicorum usum in praxi.

Species ophthalmiae, quae in Aegypto regnat, est morbus epidemicus, nimis frequens. Investigationes exactae, quas institui, me docuerunt, morbum hunc aequaliter, per totum annum, inter indigenas regnare; sed idem apud milites Gallicos locum non habuit, apud quos ophthalmiam frequentius eo tempore observavi, ubi Auster flabat, vel postquam ii itinera fatigantia, praesertim tempore summorum calorum fecerant, vel etiam noctibus humidis custodias sub dio agere cogebantur.

Prima quaestio, quam hic exacte explicare oportet, est, ut decernatur, quae sit genuina natura hujus ophthalmiae? Ut lector ipse decernere possit, quae opinio in primis adoptari mereatur; conveniens esse duxi, statim initio opiniones illorum virorum in medium adferre, qui ante me de hoc morbo scripserunt. Medicus Bruant primus descriptionem hujus morbi sub titulo: Notice sur l'ophthalmie, brevi post adventum exercitus Gallici in Aegypto publicavit; et credit se tres ejus species detexisse; nempe 1. ophthalmiam inflammatoriam; 2. gastricam, et 3. nervosam. Non

dicit autem, an morbum hunc pro universali, vel locali habeat? At si remedia consideremus, quae tribus hisce speciebus ophthalmiae opposuit, nullum est dubium, eum, morbum hunc pro universali habuisse. Nullum judicium feram de hac ratione ophthalmiam Aegyptiacam considerandi; — id solum monebo, mihi impossibile videri, ut spatio trium mensium, sub climate, ubi omnia singularia sunt, quispiam id, quod morbum epidemicum adtinet, recte cognoscere possit.

D. Savaresi secundus est, qui tractatum de ophthalmia Aegyptiaca edidit. (Memoire sur l'ophthalmie d'Egypte) Opinio ejus de natura hujus morbi, e diametro opposita est opinioni doctoris Bruant; affirmat nempe is morbum hunc semper localem, et mox sthenicae, mox asthenicae naturae esse. Dein tres ejus species statuit, nempe inflammationem bulbi oculi, inflammationem tarsi; et conjunctivae. Secundum hanc subdivisionem videtur D. Savaresi supponere, statum sthenicum oculorum esse frequentiorem, quam asthenicum. Quod ad inflammationem tarsi adtinet, ea nequaquam admitti potest; nam cum tarsi cartilaginei sint, non sunt inflammationis capaces; et omnis error nonnisi in denominatione versatur; nam Cullen ipse, ophthalmiam tarsorum statuit, et per id designare voluit, morbum quandoque terminari in margine palpebrarum, rubore et tumore, plus minusve in oculos incidente glandularum Meybomianarum, quae in primis in tali casu adficiuntur (*).

(*) D. Desgenettes curavit typis edi opus domini Bruant, et dedicationem operis Savaresii, quod idiomatae Italico typis excusum est, acceptavit. Utrumque opusculum iteratis vicibus recusum est.

D. Larrey, tam ob sua talenta, quam ob zelum et diligentiam in chirurgia militari celebris, publicavit etiam tractatum notitia dignum de ophthalmia Aegyptiaca, in quo duas ejus species distinguit, nempe ophthalmiam inflammatoriam, et serosam, vel symptomaticam; in eoque omnes caussas diligenter adfert, quae huic morbo occasionem dare possunt; simulque, ut medicus magnae experientiae, methodum eam curandi indicat. Vide: Relation chirurgicale etc. Quod ad meam opinionem de natura ophthalmiae Aegyptiacae adtinet, doleo me cum nullo auctorum, qui hucdum de hoc morbo scripserunt, consentire.

Ego defendo ophthalmiam Aegyptiacam nunquam sub forma affectionis sthenicae totius organismi, id est, symptomatibus stipatam comparere, quae febrem inflammatoriam, et eam speciem inflammationis designant, quam medici practici cum ratione, ad classem inflammationum activarum, vel simavis sthenicarum retulerunt. Facile temet de rei hujus veritate convinces, si perpenderis, febrem sic dictam inflammatoriam, sicut et inflammationes diversorum viscerum thoracis et abdominis, rarissime in Aegypto occurrere. Plures caussae, quae has adfectiones excitare possent, ibidem aut non existunt, aut vix sensibilis sunt. Clima per majorem anni partem aequale, et mutatio in altera anni parte, vix sensibilis, sustinent organismum in quodam aequilibrio, aut in statu languoris, qui evolutioni morborum hujus generis plane contrarius est. Secundum argumentum pro mea opinione est, quod omnes caussae debilitantes generationi ophthalmiae in Aegypto faveant. Porro, si hic morbus tam frequenter inflammatorius esset, ut complures crediderunt, indi-

vidua maxime debilia, ut exempli gratia infantes, mulieres valetudinariae, et milites ob fatigia et privationes, viribus exhausti, rarius ab eo adficerentur, quam homines sani ac robusti. — Observatio e contrario docet, priores magis huic speciei infirmitatis obnoxios esse.

Postquam priorem, tam quoad prognosin, quam quoad methodum, permagni momenti veritatem demonstravi; investigabo nunc, in quantum opinio eorum fundata sit, qui adfirmant, ophthalmiam saepe esse inflammationem activam, sed tantummodo localem.

Innumera facta docuerunt, permultos medicos et chirurgos ad hoc usque tempus non sufficienter determinasse, quae organa vel partes corporis humani, inflammatio activa, vel passiva inprimis adgrediatur; immo saepe unam cum altera confundunt. Error certe perniciosus est, si credas, ubi oculi rubent, dolent, lachrymas plorant etc. semper inflammationem activam adesse.

Omnes meae observationes et investigationes me de eo intime convicerunt, ophthalmiam Aegyptiacam, semper inflammationem p a s s i v a m ac l o c a l e m esse; lector partium expers, facile judicium suum de argumentis feret, quae ad probandam hanc adsertionem adducam.

Inter alia sufficienter demonstratum est, omnia remedia in totum corpus agentia, vel localia, quae notabiliter debilitant, in ophthalmia Aegyptiaca nocere, eorumque usum inconsideratum, unam e praecipuis caussis esse frequentis coecitatis, quae post hunc morbum sequi solet. Observatur e contrario, plurima remedia roborantia, prudenter adhibita, inservire refutandae opinioni superius adlatae. Postquam

opinionem meam de charactere generali hujus ophthalmiae enuntiavi, transeo nunc ad enumerationem ejus specierum. Jam initio monui ei quandoque astheniam universalem antecedere; et alias languorem totius corporis, sequelam ipsius ophthalmiae esse; quandoque nec unum, nec aliud locum habere; hinc existimo, cum ratione tres species ophthalmiae statui posse, nempe 1) ophthalmiam localem simplicem, 2) ophthalmiam cum asthenia, 3) ophthalmiam localem cum subsequente asthenia. Mea quidem opinione non est necesse, ut hae tres species separatim describantur; immo e contrario utilius fore existimo, si morbus hic pro diverso gradu intensionis consideretur. Secundum meas observationes, quinque gradus hujus ophthalmiae distingui possunt, quos hic describere operae pretium erit.

Primus gradus ophthalmiae.

Unus, vel uterque oculus repente, leviter tamen rubescit, et conjunctiva e longinquo roseum ruborem offert. Consuete tunc nec dolor, nec lachrymatio adest, et aegrotus lucem perbene ferre potest. Quandoque rubor hic post paucos dies, absque ullo remedio evanescit. Hic gradus ophthalmiae Aegyptiacae levissimus, nec magni momenti est. (*)

Secundus gradus ophthalmiae.

Malum se celerrime manifestat, cum sensu quodam doloris, ac si granum sabuli sub palpebra late-

(*) Si morbus tantum in uno oculo incipiat, semper metuendum etiam alterum ab eo adfectum iri; et quamvis id non semper eveniat, certum tamen est, id saepius accidere.

ret, et cum ardore in toto bulbo oculi, qui aegrotum cogit, ad oculum plus minusve frequenter perfricandum. Rubor oculi sat conspicuus, et simul lachrymatio adest; brevi post, aegrotus lucem amplius ferre non potest. Malum in hoc rerum statu continuat pro ratione, ut oculo parcitur, vel pro ratione remediorum, quae adhibentur. Frequenter observavi, aegrotos nonnunquam intra 8 — 10 dies sponte sanatos fuisse, etiamsi nullum remedium adhibuerint, si modo oculum ab actione lucis custodiebant. Morbus hic consuete periodum nimis regularem percurrit. Credidi initio hanc observationem indigenarum, esse fabulam, sed experientia me de ejus veritate plane convicit. Morbus hic utplurimum, versus diem octavam imminuitur. Aegrotus in primis a die quarta, ad octavam usque, maxime affligitur. Denique decursus ophthalmiae Aegyptiacae simillimus est decursui coryzae, quod ex completa descriptione hujus morbi patebit.

Tertius gradus ophthalmiae.

Alteruter, vel uterque oculus repente rubore suffunditur, quandoque cum, quandoque absque lachrymatione; — aegrotus in hoc statu, quod sane mirum, nullum dolorem persentit, et libere laboribus suis operam dare potest. Varii gradus ophthalmiae, de quibus hucdum locutus sum, possunt sensim in pejus ruere, si non congrue tractentur; adeo ut morbus quandoque, celerrime in quartum gradum, quem mox describam, transeat.

Quartus gradus ophthalmiae.

Interdum morbus diversos gradus, quos descripsi, percurrit; quandoque autem secundus ejus gra-

dus, celerrime in quartum transit; atque tunc morbus hic tam ob violentiam, quam ob dolores, quibus aegrotus excruciatur, permultum est metuendus. Interdum is instar fulminis comparet, et aegrotus in toto bulbo oculi, vehementissimum dolorem persentit. Si lachrymatio per plures dies continuat, non raro lachrymae in partes vicinas, ut materia corrodens agunt; secunda, tertia, vel quarta die morbi, lachrymae abunde fluunt, et palpebrae tantopere intumescunt, ut eas aegrotus aperire non possit. Tumor hic mox est oedematosus, mox erysipelatosus, ex quo magna quantitas materiae purulentae destillat, simillimae illi, quam in medorrhoea et coryza observamus.— Aegrotus doloribus plus minusve vehementibus afficitur; aliquando interdiu nullos dolores patitur, sed persaepe exasperatio versus vesperam se manifestat, et consuete usque ad tempus matutinum continuat. Observavi etiam permultos casus, ubi dolor hic certa hora redire solebat, et quandoque adeo vehemens erat, ut aegrotus ad desperationem adduceretur. Curavi quendam aegrotum, qui ut mihi suos dolores exprimeret, dixit: »absque haesitatione mihi oculum evelli sinerem, si scirem me per id a doloribus, quibus discrutior, liberatum iri.« — Vidi alios homines, qui semet ob animum fortem, et impavidum, pluries distinxerant, et qui tamen ob dolorem similem, per totam noctem, instar infantum plorabant. Interdum dolor non solum bulbum oculi occupat, sed aegrotus eum frequenter etiam in capite accusat, qui quandoque interne in cerebro saevit; et alias per totam superficiem cranii extenditur. Totus bulbus oculi persimilis est carni crudae. Aegroti tales consuete adhuc aliam permolestam sensationem habent, nempe persentiunt ii perfectam ob-

turationem narium, quae simillima illi est, quam coryza laborantes sentiunt. Sub initium hujus mali, humor destillans, aquae similis est, sed sensim mucosus, tenax, et ultimo puriformis fit. Quandoque vidi in tali casu, subsequi haemorrhagiam narium, quae multum aegrotum sublevavit.

Denique in hoc rerum statu; saepe post ophthalmiam exoriuntur maculae, exulcerationes, et staphylomata corneae.

Quintus gradus ophthalmiae.

Aegrotus a quarto inde gradu ophthalmiae plus minusve afficitur; ejus vehementia sensim cessat, et nihil aliud remanet, nisi nimius turgor palpebrarum, et albugineae, conjunctus cum copiosa lachrymatione, quae ex parte causa est, quod aegroti cum difficultate objecta distinguere possint. Aegroti tales in eo statu per plures menses manent, nisi initio morbi congrua remedia adhibeantur; atque tunc morbus nomen ophthalmiae chronicae meretur.

Postquam ophthalmiam Aegyptiacam descripsi, adferam adhuc quasdam animadversiones, antequam ad examen caussarum hujus morbi transeam.

Jam superius adnotavi, ruborem oculi interdum esse in ratione ruboris, internam faciem palpebrarum occupantis; vel potius hunc esse in ratione ruboris oculi. Aeque certum est, ruborem palpebrarum in ea ratione evanescere, ut rubor oculi dissipatur. Paucorum casuum recordor, ubi solus tantum oculus adfectus fuit; et e contrario multos casus vidi, ubi interna superficies palpebrarum rubra et turgens erat, interea dum oculus conditionem suam naturalem recuperavit.

Si ophthalmia aliquantum vehementior est, affi-

cit ea quandoque per consensum organa quoque digestionis; quod facile explicari potest, si intimum nexum, quem nervi oculorum et ventriculi inter se habent, consideremus. Turbationem digestionis, indicat quandoque lingua impura, nausea, interdum vomitus biliosus, anorexia etc. Errares tamen, si crederes, haec symptomata esse caussam primariam ophthalmiae; et si ad successivam evolutionem horum symptomatum aliquantum adtentus fueris, facile perspicies, id, quod alii pro causa habent, nihil aliud esse, quam effectum morbi principalis. Quamvis ophthalmia interdum occasionem det perturbationi in organis digestionis; tamen aeque certum est, saepe homines ophthalmia adfectos, non solum nullam perturbationem in ventriculo sentire, sed potius durante morbo, optimo appetitu ciborum gaudere. Denique observavi, unam e caussis moralibus, nempe metum amittendi visus, in complures meorum aegrotorum potenter egisse. Aliquid etiam tribuendum hic defectui exercitationis corporis, quae interdum occasionem dat obstructioni alvi.

Quemcunque gradum, vel vehementiam ophthalmia habeat, rarissime tamen ea cum febre conjuncta est. Si haec accedat, originem suam ea debet caussis accedentibus, et debilitantibus; nunquam autem observavi ophthalmiam Aegyptiacam cum febre inflammatoria conjunctam fuisse. Consuete pulsus arteriarum, apud eos qui ophthalmia adfecti sunt, nullam mutationem offert; tantummodo in quibusdam singularibus casibus eum lentiorem observari, ac is consuete esse solet.

De causis ophthalmiae Aegyptiacae.

Plurimi auctores, qui de ophthalmia Aegyptiaca

scripserunt, causam ejus in sequentibus rebus quaerendam esse crediderunt, nempe:

1. In subtili pulvere, qui continuo in atmosphaera per totum annum dispersus est.
2. In summa lucis claritate, quae a continua coeli serenitate pendet.
3. In noctibus frigidis et humidis, quae facile cutis transpirationem supprimunt.

Ante omnia hic investigandum habeo, in quantum hae opiniones fundatae sint, quare omnia adducam, quae pro iis, et contra eas dici possint.

1. De pulvere, ut causa ophthalmiae Aegyptiacae.

Si perpendamus magnam oculi sensibilitatem, irritationem et dolorem, quem vel minimum corpus peregrinum, in eum delatum excitat, et si consideremus impossibile esse, semet ab omni impressione pulveris plane custodire: primo obtutu eum pro una ex potentissimis caussis ophthalmiae habebimus. At mihi rem hanc penitius examinanti videtur, caussam hanc esse nimis dubiam. Verum quidem est, quandam quantitatem pulveris per diem super oculos praecipitari; sed aequa certum est, etiam in ea ratione adfluxum lachrymarum, quin id percipiamus, augeri, et ab iis pulverem hunc sensim elui, hinc nec vesperi sub decubitu, nec mane, ubi homo e lecto surgit, quidquam hujus pulveris, in oculis reperitur. Nonnulli crediderunt, pulverem in athmosphaera natantem, esse naturae nitrosae; alii existimant eum esse naturae alcalinae; alii denique contenderunt, eum esse naturae calcareae, et non quantitate, sed qualitate sua organon visus afficere et irritare. D. Savaresi, ut de hac re certior fie-

ret, applicuit oculis canum terram in pulverem redactam, atque animalia haec die subsequente visum penitus amiserunt. Ignoro autem quantitatem terrae, in hoc tentamine adhibitae; at id scio, eum terram hanc ope fasciae oculis canum adligasse. Vix necesse est, ut hic moneam, hanc experientiam nullam similitudinem cum eo habere, quod naturaliter evenit, et hinc nihil plane demonstrare. Praeterea magna est differentia inter terram in pulverem redactam, et pulverem subtilem, qui ubique subsidet, et praesertim in fenestris colligitur.

Quamvis argumenta contra hanc experientiam D. Savaresi adlata, ejus incertitudinem satis ostendant; eo non obstante ipse tentamina magis accurata instituere volui, ut eorum effectum rite cognoscerem. Hunc in finem accepi duos catullos; et postquam auxiliator meus eorum palpebras distraxisset, oculis eorum quatuor grana pulveris, qui in exteriori parte fenestrarum subsidere solet, injeci. Catulli hi in libertatem missi, illico oculos suos fricuerunt; subsequebatur lachrymatio, et sequenti die reperi eorum oculos ita claros, ut antea erant. Successu temporis plura adhuc tentamina feci, ut ophthalmiam apud eosdem catullos excitarem, et hunc in finem itidem oculos eorum magna quantitate ejusdem pulveris implevi, sed nihil mali exinde sequutum.

Quod ad observationes circa homines factas adtinet, vulgo notum est, Arabes Beduinos, pro ratione vitae suae nomadicae, magis esse pulveribus expositos, quam alii homines. Attamen singulare hoc genus hominum, certe rarius ophthalmia adficitur, quam alii incolae Aegypti. In pluribus peregrinationibus, quas beneficio Nili, in inferiori et superiori Aegypto feci, terribilibus pulveribus per plu-

res dies expositus fui; at nec ego, nec mei comites itineris, ophthalmia afficiebamur. Cum Kairi ampla platea, quae a Moski ad forum Ebeskir ducit, perrupta fuisset, per plures menses in ea majores pulveres fuerant, quam id in Aegypto consuete esse solet. Plura centena hominum demolitione domuum in ea occupabantur, et complura millia incolarum, ab hoc pulvere in habitationibus suis adfligebantur, nec tamen plures ophthalmiae ibidem loci occurrebant, ac in aliis urbis partibus.

Post praelium 30. mensis Ventosi (Martii), anni IX., commissum, circumvallationes fiebant in solo sabuloso, et maxima pars exercitus in summo pulvere continuo laborabat, et tamen nullae tunc occurrerunt ophthalmiae. Nemo actioni pulveris minus expositus est, quam infantes et mulieres, quae continuo in suis habitationibus manent: ceterum experientia docuit, haec individua prae ceteris huic morbo maxime esse obnoxia.

Ex argumentis hucdum adlatis evidenter patet, pulverem plane non esse caussam ophthalmiae in Aegypto occurrentis, quidquid hac de re alii cogitaverint, et dixerint.

Unam adhuc animadversionem facere debeo; pulverem nempe facile nocere posse hominibus, qui jam ophthalmia laborant, aut aliquas reliquias ejus habent, quod non mirandum, si consideremus sensibilitatem organi visus, in similibus casibus nimis esse exaltatam.

2. De nimia claritate coeli ut caussa ophthalmiae.

Continua actio nimiae claritatis coeli, quae per totum annum in Aegypto locum habet, certe oculos

magis debilitare, et eos ad morbum hunc suscipiendum procliviores reddere debet; quam in aliis regionibus. Atque haec fuit generalis opinio, quam omnes medici et chirurgi exercitus orientalis fovebant.

Equidem concedo indubium esse, quod quo intensior lux est, eam eo vehementius oculos adficere, et debilitare; at si perpenderis lucem in primis in retinam agere, et vix decerni posse, an ea superficiem oculi tantopere debilitare possit, ut evolutionem doloris oculorum promoveat: consenties mecum, adsertionem hanc, — nimium splendorem lucis, frequentem occasionem ophthalmiae dare, — esse hypothesin summe arbitrariam. Et quaeritur, an non possint oculi, ut alia organa, sensim stimulo fortiori adsuefieri, quam is est, cui hucdum adsueverunt? Tantummodo ex hac hypothesi explicari potest, cur amaurosis in Aegypto adeo rara est, quamvis caussa ejus ibidem constanter adsit. Individua ut plurimum magnae claritati luminis exposita, ophthalmia prae aliis non afficiuntur; et e contrario observavi complures homines, qui in domiciliis obscuris habitarunt, et se rarissime splendori lucis exposuerunt, non minus fuisse ophthalmiae obnoxios, ac priores. Porro, si nimia claritas coeli, caussa morbi hujus esset, peregrini magis hoc morbo adfici deberent, ac incolae huic claritati jam adsueti. Egomet autem nullum notabile discrimen hac in re observavi, quamvis in genere alii contenderint, Mameluccos minus ophthalmia affici, ac indigenae. Quod ad observationes in exercitu Gallico factas adtinet, hae non possunt rationabiliter cum iis confundi, quae apud Mameluccos factae sunt. Miles enim Gallicus in continuo exercitio corporis fuit, et mox omnium rerum abundantiam habuit, mox summam

penuriam patiebatur, interea dum Mamelucci desidiosi, bene nutriti et bene vestiti erant.

Denique notandum, Arabes Beduinos, qui in medio sabuli vivunt oculos consuete sanos, et visum peracutum habere.

3. De frigore et humore, ut caussa ophthalmiae Aegyptiacae.

Ex innumeris observationibus novimus, inquiunt plurimi medici et chirurgi, frigus et humorem caussas esse affectionum catarrhalium, quae mox pectus, mox cavum narium occupant, et coryzae occasionem dant. Cum in Aegypto, inquiunt hi, visus in primis a splendore lucis debilitetur, eadem affectio catarrhalis in primis oculos adgreditur. Opinio haec quae quandam speciem verisimilitudinis habet, mihi etiam dubia videtur, et quidem ex sequentibus rationibus, quas hic adducam:

1.) Plurima individua ophthalmia adfecta, nullas molestas sensationes habent, nec frigus cum calore alternans, nec lassitudinem etc., quod fere semper in affectionibus catarrhalibus observatur. Oculi patiuntur, absque quod reliquum systema organismi adfectum sit, et aegroti nullam aliam sensationem habent, praeter eam, quae locum habere solet, ubi oculis, substantia plus minusve irritans adplicatur.

2.) Nulla ratio observatur inter homines, qui semet frigori et humori exponunt, et numerum eorum qui sub his conditionibus ophthalmia adficiuntur. Mulieres et infantes, ut jam supra dictum, magis ophthalmiae obnoxii sunt, quam alia individua, quamvis semet frigori et humori rarius exponant.

3.) Kairi athmosphaera nunquam humidior est, ac hyeme; et tamen longa experientia confirmavit, morbum hunc nullum anni tempus habere, in quo

in primis regnaret, et eum omnibus mensibus communem esse. In nosocomio militari, quod Kairi erat, mense Martio, et Aprili (Germinali et Floreali) anni septimi, ophthalmiae frequentissime semet manifestarunt, non solum apud eos, qui febre et dysenteria adfecti erant, sed etiam apud sauciatos, et syphillitide adfectos; et tamen tunc calores suffocabiles erant.

Sub ingressu exercitus Gallici in Aegyptum, innumeri milites ophthalmia afficiebantur, in primis postquam Kairum ingressi fuissent. Acciderat autem id post solstitium aestivum, ubi nec frigus, nec humor aderat. — Cum numerus ophthalmia adfectorum circa tempus exundationis, vel summi incrementi Nili augeretur, ac eodem tempore noctes frigidae et humidae esse soleant: nonnulli se exinde argumentari posse credebant, frequentiam hujus morbi dependere a continua commoratione copiarum sub dio. At Arabes per totum annum sub dio vivunt, et innumera individua per integros menses, aestate sub dio, rori exposita dormiunt, et tamen morbus hic oculorum apud eos non adeo frequens est, ac is in exercitu Gallico fuit. Fortassis liceret inde concludere, Europaeos recenter in Aegyptum advenientes, magis esse huic morbo obnoxios, ac indigenas; sed observationes antecedentes evidenter contrarium demonstrant.

Milites Gallici anno secundo rarius hoc morbo laborabant. Caussam hujus rei in meliori vestitu quaerebant; alii id exinde venire existimabant, quod jam climati adsueverint. Supremus tunc temporis dux copiarum Menou, jussit militibus togas cucullatas ex panno dari, et certe nullus magis conveniens vestitus eis dari potuit, qui eos tam a frigore, quam

a humore defenderet. Mense Februario (Ventose) anni IX. exercitus Kairo Alexandriam est profectus, Post ea, — quae die 30. ejusdem mensis evenerant, et nota sunt, exercitus se extra hanc urbem circumvallavit. Milites fatigiis laborum, et gravi servitio exhausti, de die nimio calore oppressi, — noctu continuo exagitati, ophthalmia tantopere afficiebantur, ut mense Junio (Messidor) octingenti homines ophthalmia laborantes, in nosocomiis numerati fuerint. Eodem tempore hostis perrupit aggerem, et lacum Mereotis, qui partem Alexandriae versus orientem ambit, et post perruptionem aggeris, — hanc regionem inundavit. Credebant post, — evaporationem novi hujus lacus, veram caussam esse illius epidemiae ophthalmicae.

Postquam immediatam frigoris et humoris actionem, pro caussa ophthalmiae venditatam perpendi, sequentes contra hanc opinionem objectiones faciendas habeo:

1.) Per observationes indigenarum sufficienter confirmatum est, omni anno a 16. Junio, usque ad 6. vel 10. Julii, in Aegypto sub occasum solis, et noctu, rorem abundantem cadere; at nec indigenae, nec Europaei, qui Alexandriae a pluribus inde annis commorabantur, observarunt, ophthalmiam hoc anni tempore frequentiorem esse, quam alio tempore.

2.) Quod id adtinet, quod de actione novi hujus lacus in originem ophthalmiarum dici posset, id pro momento decipere potest, sed omnis verisimilitudo hujus opinionis evanescit, si consideremus:

a) Quod non obstante evaporatione maris, Alexandria non magis ophthalmia adfligatur, quam Kairum, ubi sicut notum, clima siccius est. Superficies autem, et evaporatio novi hujus lacus,

qui sensim exortus est, vix cum superficie, et evaporatione maris comparari potest. Potestne igitur ex iis, quae adtulimus, cum ratione concludi, evaporationem novi lacus, esse caussam principalem numerosarum ophthalmiarum?

b) Damiatta multo humidior est ac Alexandria, — quia in isthmo nimis angusto sita est, et eam ex una parte Nilus, ex altera lacus Menzaleh alluit, et praeterea mare una tantum leuca Gallica ab ea remotum est, nihilominus tamen ophthalmia illic non est frequentior, quam alibi.

c) Non obstantibus iis omnibus, quae alii hac de re dixerunt, contendo tamen, ophthalmiam aeque frequentem esse in Aegypto superiori, ac in inferiori, quamvis certum sit, clima prioris esse longe siccius, quam ora maris mediterranei.

Credo me omnibus hisce argumentis, a me adlatis evidentissime demonstrasse, nec frigus, nec humorem pro caussis ophthalmiae proximis, haberi posse.

Complures, qui desiderabant, caussas detegere, quae occasionem ophthalmiae dare possent, sibi persuaserunt, suppressionem transpirationis cutis, vel ejus cohibitionem, unam e potentissimis caussis hujus morbi esse. At jam animadverti, quod quotiescunque transpiratio insensibilis in Aegypto supprimitur, vel turbatur, semper exinde infirmitas universalis oriatur. Ceterum apud homines ophthalmia adfectos nihil occurrit, quod ullam turbationem transpirationis cutis indicaret.

Cum morbus quandoque se apud milites manifestet, qui sub dio in castris versantur, et apud homines, qui recordantur, se in libero aëre, vel apertis in vicinia lecti fenestris, dormivisse (cui rei contradi-

cere nolim), videri possit, caussam hanc pro maxime verisimili, et optime demonstrata fortassis haberi posse. Sed cur non liceat nobis ultra scrutari, et aliam adhuc longe potentiorem caussam suspicari? Cogitationes meas hac de re inferius explicabo.

Post longam hanc disquisitionem, quae ostendit, quam dubia omnia ea sint, quae de caussis ophthalmiae Aegyptiacae alii dixerunt, lector sine dubio desiderabit, etiam opinionem meam hac de re, adeo magni momenti cognoscere. Ut rem, quantum fieri potest, praecise explicem, provoco ad ea, quae jam superius dixi, nempe ophthalmiam Aegyptiacam esse unum eundemque morbum, qui interdum localis est, et cui interdum asthenia universalis antecedit, et interdum eum sequitur.

Caussae astheniae universalis in Aegypto sunt frequentes et numerosae, quae in primis ad morbos endemicos, exempli gratia dysenteriam, ophthalmiam, et pestem suscipiendam homines pronos reddunt.

Caussae debilitantes, quae in Aegypto frequentissime observantur, et militibus, qui in castris sub dio commorantur, maxime nocent, sunt calor interdiu ardens, — noctu humor, et frigus, — usus immoderatus potionum inebriantium, immoderatum commercium cum mulieribus, itinera nimis fatigantia, defectus nutrimentorum etc.; repentina suppressio diarrhoeae, vel dysenteriae. Non existimo quidem ullam harum caussarum directe ophthalmiam generare posse, credo tamen eas ejusdem evolutioni favere; quemadmodum hae circumstantiae tempore pestis, actionem miasmatis pestilentialis adjuvare solent.

Quod ad caussas astheniae subsequentis adtinet,

principales quas observavi, hac sunt. Homo afficitur ophthalmia, absque caussis antecedentibus; digestio mox citius, mox tardius turbatur; lingua fit impura, os glutinosam, aegrotus omnis generis cibos abominatur, habet frequentes ructus, vomitum biliosum patitur, et alvus cum difficultate deponitur.

Si consideremus ignaviam, in quam aegrotus subito conjicitur, incommoda, quae patitur, et quae interdum in plures hebdomadas prolongantur, — pauca nutrimenta, quae sumit, — exiguam quietem, quam diu noctuque habet, et in primis majorem minoremve metum visus amittendi; facile perspiciemus, haec omnia totidem caussas potentes esse, quae sensim debilitatem totius organismi post se trahunt. His preamissis, vix necessarium erit monere, nec caussas universales, quae organismum jam ante insultum ophthalmiae, debilitarunt, nec eas, quae eam sequuntur, pro caussis principalibus ophthalmiae haberi posse. Hinc restat, ut examinem, quae caussae locales sint, quae ophthalmiam Aegyptiacam excitare possint. Nemo fortassis negabit, argumentum hoc longe difficilius esse, ac ea, de quibus hucdum disputabam; — etiamsi disquisitiones meae non omnem possibilem evidentiam habeant: investigabo tamen objectum hoc summae dignitatis, ampliori respectu, ac id a meis antecessoribus factum.

Secundum observationes a me institutas, mihi videtur, veram caussam ophthalmiae in athmosphaera Aegypti latere. Exponam hic rationes, quae me ad id credendim inducunt. Debebo autem hic lectori in memoriam revocare, quod a longissimis inde temporibus summa cum persuasione adfirmarint, coryzas et catarrhos originem suam debere rapidae transitioni ex calore in frigus, vel aliis caussis, quae

transpirationem cutis supprimere possunt. Celebris Weikardus primus hanc theoriam in dubium vocarit, et magnacum evidentia demonstravit, caussam coryzarum consistere in materia heterogenea in athmosphaera diffusa, quae mox a vasis lymphaticis absorbetur, mox immediate membranam Schneiderianam, vel bronchiarum adficit. Cum hic longum foret, argumenta ab hoc medico adlata enarrare, relego lectorem ad tractatum, quem is hac de re, ante viginti annos edidit. Experientia inter alia docet, contrahi quandoque coryzas in numerosis societatibus, in oecubus illuminatis, et a multis frequentatis, in theatris, et in ecclesiis. Eruditus quidam physicus cum in l'Hôtel Dieu Parisiis ope eudiometri, in nosocomio Sancti Caroli, ubi tunc commorabatur, aegrotos, febre sic dicta putrida adfectos examinasset, detexit aërem illic loci tantum duobus gradibus deteriorem fuisse, quam in horto botanico (Jardin des plantes). Secundum aliam experientiam vesperi in theatro institutam, ubi magnus concursus hominum erat, aër hic loci sex gradibus deterior erat, ac in nosocomio; adeoque duo gradus tantum deerant, ad eum plane respirationi ineptum reddendum. Ante viginti annos duo celebres physici similes investigationes fecerunt. (Vide Opusculi di Milano). Hinc indubium est, atmosphaeram diversa ratione mutari, et principium in se continere posse, quod unum organon prae alio afficere valeat. Complures rationes, quas nunc adducam, me ad id credendum inducunt, veram ac genuinam caussam ophthalmiae Aegyptiacae quaerendam esse in principio proprio, athmosphaerae hujus regionis innatanti.

1. Observatio docuit, permultos homines, quamprimum ex Europa in Aegyptum veniunt, statim pruritu oculorum, et quandoque tarsorum adfici.
2. Plurimi homines, ubi Aegyptum relinquunt, sponte ex ophthalmia sanantur: eadem sanatio spontanea observata fuit apud milites, qui Kenna, in portum Cossir transmigrarunt.

Equidem non possum cum certitudine decernere, quae sit natura hujus singularis principii athmosphaerae Aegyptiacae innatantis, quod tam facile organon visus adficit; at pronus sum ad credendum, id esse acidum muriatum, per atmosphaeram diffusum. Prima quaestio, quae hic jure proponi posset, est: An haec chymica conditio athmosphaerae ope experientiae directe demonstrata sit?

Viri qui me magis in chymia versati fuerant, investigationes hujus generis neglexerunt; quod ad me adtinet, ego opinionem meam tantum ope factorum indirectorum confirmare possum. Rationes quae me ad hanc opinionem permoverunt, sequentes sunt:

1. Rationabiliter supponi potest, in omni ora maritima, acidum muriaticum in majori minorive quantitate evolvi.
2. Acidum hoc videtur in majori copia, in athmosphaera Aegypti reperiri, quam in aliis regionibus; quia omnia ex ferro aut chalybe fabricata, mira celeritate, in hac regione rubigine obducuntur. Hanc facilitatem, qua ferrum rubigine obducitur, volebant nonnulli humori aëris adscribere; at cum plures regiones reperiantur, quae humidiores sunt, ac Aegyptus, nec tamen in iis ferrum tam cito rubiginem

contrahit, ac in Aegypto, sequitur hinc in athmosphaera hujus regionis quoddam magis activum principium, ut caussam hujus rei existere.

Ut certo cognoscatur, an in atmosphaera Aegypti acidum muriaticum reperiatur, oporteret, ut chymici periti eam examinarent. Egomet ipse plures viros provocavi ad investigationes hujus generis instituendas, sed hi maluerunt semet aliis, minus utilibus rebus occupare. Quomodocunque autem res se habeat, id tamen certum est, expertos chymicos a longo inde tempore perspexisse, actionem caloris absque ullo alio adminiculo, praeter pauculum humoris, acidum muriaticum ex mari evolvere posse. Celebris Pristley hac de re sic loquitur: »La chaleur du soleil fait élever de la mer une vapeur acide; c'est qui paroit êvidemment par la diffèrance remarquable, qui se trouve à cet égard entre l'athmosphère des pays chauds, et celles des pays froids. On dit que les metaux ne se rouillent presque jamais dans la baie de Hudson et en Russie, au lieu qu'ils sont particulièrement sujets à la rouille dans la Barbade et dans les autres îles situées entre les tropiques. Cela arrive dans les lieux abondans en fontaines salées, comme Hautrich en Cheshire« (Vide: Pristley espériences et observations sur les différentes espèce d'air. Tom. I. p. 342). Aeque magni momenti est, ut animadvertamus, hanc meam opinionem, tanto majorem verisimilitudinem obtinere, si perpendamus, secundum observationes Bertholeti totum solum Aegypti muriate ammoniae impraegnatum esse. Denique non possum huic discussioni finem imponere, quin moneam, quod, quo angustiores, insalubriores, vel impuriores ha-

bitationes hominum in Aegypto sunt, et quo plures homines in iis coacervati habitant, eo frequentius ii ophthalmia afficiuntur. Hinc infima plebs Kairi, ei magis est obnoxia, quam homines locupletes; Arabes Beduini minus, quam incolae pagorum; denique magis Judaei, quam alia individua. Oporteret pagum talem propriis oculis vidisse, in quo Israëlitae Kairi habitant, ut rectam ideam de eorum miseria, — angustis habitationibus, et horribili, ac foetorem exhalante impuritate habeas.

Ecce hae sunt principales caussae, quae me ad statuendum adduxerunt, veram et primariam caussam ophthalmiae Aegyptiacae in athmosphaera reperiri, et ab acido muriatico in vapores redacto, vel in singulari proprietate aëris consistere, — cujus stimulus in primis in organon visus agit, et in eo circiter effectum illi similem producit, quem materia medorrhoica in uretra gignere solet.

An licet ex his conjecturando concludere, facilitatem ophthalmiam in Aegypto contrahendi, ubi nempe semet homines noctu frigori et humori exponunt, non tam a caussis palpabilibus, quam a densatione acidi muriatici in aëre provenire? Si conjectura mea vera esset, frigus et humor, tantum caussae ophthalmiae remotae essent, quod prae oculis habere oportet, et quod ego uberius demonstrabo, ubi de remediis hujus morbi prophylacticis loquar.

Ceterum non imaginor mihi, — quantamcunque evidentiam argumenta a me prolata fortassis habeant, alios medicos ejusdem opinionis mecum futuros; nulla ratio, nec metus me ab explicatione, tam gravis argumenti retinere potuit.

Integrum hoc caput jam typis excudendum erat, cum mihi occasio obtingeret legendi, sequens opus;

Voyage dans l'empire Ottoman, l'Egypte et la Perse, publié par Mr. Olivier. Summacum voluptate vidi, plurima, quae eruditus hicce medicus et peregrinator dicit, apprime congruere cum iis, quae hic exposui. Ut autem lector semet de eo, quod adfero, convincere possit, transscribam ea, quae D. Olivier de ophthalmia dicit: »Les habitans de l'Egypti sont sujets à des ophthalmies, »qui produisent très souvent la cécité. Ici je soupçonne qu'il faut en accuser le sel, qui se trouve »contenue dans l'air en si grande abondance, qu'on »voit se fixer partout, et se crystalliser en différents »endroits. La superficie du sol en est tellement imprégnée, que les pluies, quoique très-rares l'entrainent dans les lacs et les marécages, d'ou habitans le retirent chaque année après l'evaporation »totale ou partielle des eaux. Ce sel est connu dans »le commerce, sous le nomme de natron. Repandu »dans l'air, il agit sur l'organ delicat de la vue, produit d'abord de la démangaison, puis un sentiment de douleur, et ensuite une inflammation opiniâtre, qui se termine par la perte de vue. En »vain quelques auteurs ont regardé de sable fin que »les vents répandent quelquefois dans l'air, comme »la cause des maladies des yeux, ces vents rares et »momentanés, ne sauroint produire ces inflammations lentes et opiniâtres, qui se montrent pendant »toute l'année. Les Arabes des deserts y seroint »d'ailleurs bien plus sujets que l'habitants de l'Egypte, et l'on sait que cette maladie est extrêmement »rare chez eux.«

»Ce qui prouve qu'on ne doit point en accuser »les vents du sud, c'est qu'on observe la même maladie en Perse, ou le Khamsin est inconnue comme

» en Egypte l'air contient un sel dont l'action constan-
» te, et continue se fait sentire sur l'organe de la vue.«

» Quelques voyageurs ont cru trouver la caüse de
» la cécité dans la coutume des habitans de coucher
» sur la terrasse des maisons; mais ceux des iles de
» l'Archipel, de la Syrie, de la Mésopotamie, de
» l'Arabie, de tout nord de l'Afrique, y couche aussi,
» sans être cependant exposé aux inflammations
» des yeux,«

» On ne seroit pas plus fondé a regarder la frai-
» cheur des nuits, qui succède à la chaleur immo-
» dérée du jour, comme la seule cause des ophthal-
» mies; car les déserts qui entourent l'Egypte, dans
» ceux de l'Arabie, à Damas, à Bagdad, à Mossul,
» la chaleur du jour, et la fraicheur de la nuit, sont
» bien plus grandes qu'en Egypte; et cependant ni
» les Arabes, ni les habitans de ces trois villes, ne
» sont autant sujèts aux inflammations des yeux que
» les Egyptiens.«

» Il n'est pas douteux que dans quelques circon-
» stances la fraicheur de la nuit succédant à une forte
» chaleur du jour, ne puisse accélérer le developpe-
» ment de cette maladie, l'occasioner même; mais je
» ne crois pas qu'elle puisse en être seule la cause. 'A
» notre retour de la Perse par le désert du nord de
» l'Arabie, en prairial et messidor, nous éprouvâmes,
» pendant soixante-cinque jours, les plus fortes cha-
» leurs, et les nuits un fraicheur assez vive pour
» nous obliger à nous couvrir de plusieurs couvertu-
» res: ou nous faisoit plier la tente au soleil cou-
» chant; cependant personne, dans une caravane
» nombreuse, n'eut la moindre incommodité, et
» n'éprouva la plus légére inflammation des yeux. Ce
» qu'il y a de remarquable, c'est que ces sels répan-

» dus dans l'air n'affecte en aucune manière les pou-
» mons. La phthisie commune dans les iles de l'Ar-
» chipel et de la Grèce, est presque inconnue en
» Egypte, soit que ces sels ne puissent corroder
» cet organe, soit que la nature fasse marcher avec
» eux une autre substance qui en est le correctif. «

»Les chymistes Français qui ont parcourru en
» dernier lieu cette contrée interessante, nous diront
» peut-être si la formation de ce sel tient à la quantité
» de l'air, à la nature du sol, ou si l'action du so-
» leil y contribue. On ne peut certainement pas en
» attribuer uniquement la cause à la nature des terres
» qui sont déposée par le Nil; car il s'en suiveroit que
» toutes celles d'alluvion devroit produire le même ef-
» fet; c'est ce qu'on ne voit cependant pas à l'embou-
» chure de grands fleuves; dans les autres parties du
» globe. D'ailleurs, on ne pourroit l'attribuer à la mê-
» me cause en Perse, ou le sol est très-élevé au-des-
» sus du niveau de la mer, fort distant d'elle, et de
» formation très ancienne. «

»Il est bon de remarquer que le terrains où ce
» sel se forme, sont tous privés d'arbres, et n'ont
» presque pas de végétaux: ils sont naturellement
» inculte ou abandonnés depuis quelque tems. Lors-
» que nous decrirons la Perse, cet empire malheureux,
» désolé par la guerre civile depuis l'expulsion des
» Sophis, nous ferons remarquer que des plaines fort
» éténdues, auterfois fertiles et productives, ne pré-
» sentent aujourd'hui qu'un sol aride, parsemé de
» plantes salines, sur lequel se forme un natron
» assez semblable à celui de l'Egypte.«

»Nous sommes donc fondé a croire que ce sel
» se formeroit en moindre quantité en Egypte si les
» terres y étoient aussi cultivées qu'autrefois; qu'il se-

» roit moins répandu dans l'air, et que son action étant » alors presque insensible, les ophthalmies y seroit » beaucoup plus rares. Voyons-nous en effet dans l'hi- » stoire, que sous le regne de Xerxès, de Darius, » sous celui des Ptolemées, les habitans de la Perse et » de l'Egypte fussent affligés de maux d'yeux comme » il le sont aujourd'hui « (Vide opus allegatum, Tom. III. pag. 234. et seq.)

De prognosi in ophthalmia Aegyptiaca.

Tantum perpauca de prognosi in ophthalmia Aegyptiaca dicenda habeo: Quominus individuum ophthalmia affectum valetudinariam est, vel tenerae complexionis, tanto facilius morbus sanatur, et vice versa. Quo magis morbus curationi cum ratione institutae resistit, tanto magis coecitas plus minusve consummata, — metuenda est. In genere periculum visus amittendi est in ratione violentiae morbi, vel ineptae curationis, quae adhibetur. Si e contrario malum non nimis vehemens est, si decursus ejus per remedia contraria non penitus turbatur, morbus saepe intra octo vel quindecim dies finitur. Si autem is ultra hoc tempus prolongatur, tunc exitus ejus incertus est. Constanter observavi, dolorem, non semper vehementiae mali respondere; unde sequitur vehementiam doloris non semper majus vel minus periculum indicare. Ubi sensus obstructionis in cavo narium incipit imminui, et materia puriformis ex naribus destillat, ut id in catarrho fieri solet, magna diminutio mali speranda. Quandoque, tempore tamen incerto, haemorrhagia narium supervenit, quae semper salutaris est.

Interdum vidi post sanationem dysenteriae, oph-

thalmiam comparuisse; et e contrario observavi, dysenteriam, redeunte ophthalmia illico disparuisse(*); alia occasione vidi evanuisse ophthalmiam post levem diarrhoeam, quod plures medicos ad credendum permovit, levia purgantia, eaque iterata, esse veram panaceam ad sanandam ophthalmiam. Quandoque etiam observavi, idem individuum, quod ophthalmia afficiebatur, — uno eodemque tempore diarrhoea, vel dysenteria laborasse, quin una morbi forma, alteram mutaverit. Res perdifficilis est decernere, unde diversa haec phoenomena proveniant? Sed cum plures convalescentes viderim, qui in convalescentia, exempli gratia, post febrem milliariam, vel nervosam, post pestem, scorbutum etc. ab ophthalmia fuerant correpti, existimo inde, ut rem experientia probatam, concludi posse, omnem convalescentiam, vel quod idem est, omnem statum debilitatis, evolutionem ophthalmiae promovere. Funestae tandem sequelae ophthalmiae sunt, maculae opacae corneae transparentis, — ejus exulcerationes, vel staphylomata; inversio palpebrarum. sub nomine ectropii nota: Secundariae hae affectiones sunt et visui periculosae, et perdifficiles ad curandum.

De remediis prophylacticis ophthalmiae Aegyptiacae.

Si utile est nosse remedia, curandi morbum, qui omni momento amissionem visus minatur; certo non minus utile erit etiam ea remedia nosse,

(*) Hanc ideam adoptavit, et protulit Dom. Desgenettes in epistola catholica, quam publicavit, cum in Aegyptum venisset, et quae in pluribus collectionibus, denuo typis vulgata fuit.

quorum ope te ab eo tutum reddere possis. Haec res maximi momenti est, non solum pro recenter advenientibus, sed etiam pro indigenis. Nonnulli adfirmarunt, si quis semet ab ophthalmia tutum reddere velit, pernecessarium esse, ut nimium splendorem lucis, et pulveres evitet. Ex iis, quae jam antea dixi, lector in antecessum concludere potest, me a prima hae praecautione non multum sperare. Eam tamen iis jure commendo, qui jam ophthalmia laborant; nam in hoc casu visus persaepe nimis debilitatus, et oculi nimium sensibiles sunt; hinc certe aegroti multum commodi exinde trahent, si pulveres et nimium frigus vitaverint. Secundum meas observationes maxime essentiale est, si quis semet ab ophthalmia tutari vult, ut frigus et humorem vitet. Nam hae duae causae, ut supra monui, totum systema organismi debilitare, et hinc evolutionem ophthalmiae adjuvare possunt. Quare cavendum, ne apertis fenestris, excepto nimio calore, dormiat, vestitum hyemalem calidum, tardius cum aestivo commutet, et priorem — appropinguante tempore anni frigido, quod semper adest, ubi Kairi maximus humor regnat, potius citius, quam tardius induat, non de repente vestimenta exuat, nec se meatui aëris, ubi nimis incaluit, exponat. Regula maxime essentialis apud indigenas, quam sequuntur, ut semet ab ophthalmia liberos servent, consistit in eo, quod caput sive rasum sit, sive non, diligenter obtegunt. Nam persaepe observarunt, ubi semet quispiam libero aëri paululum exponit, — facile eum exinde dolores oculorum contrahere. Alii porro credunt, optimum remedium semet ab hoc morbo intactum servandi, esse lotionem capitis cum aceto, vel cum succo pomorum citri, quotiescunque id ra-

sum est. Tertium nimis usitatum remedium ad praecavendam ophthalmiam est adplicatio compositionis nigrae, super tarsos, quam in lingua arabica Cochel nominant (*). Cum mistura haec leniter irritans sit, auget ea actionem glandularum Meibomianarum, roborat palpebras, et hinc periculum morbi removet, praesertim apud eos qui ea frequenter afficiuntur.

Quod ad diversas species lotionis adtinet, quas laudarunt, nulla de eorum utilitate experientia exstat. Ego complures Europaeos noveram, qui per plures continuos annos, oculos suos bis per diem aqua frigida simplici, vel cum pauculo succo pomorum citri, — cum aceto, vel spiritu vini mista, lavare solebant. Eadem haec individua, nihil aliud per id temporis spatium adhibuerunt, observaruntque, inutile esse ad praecavendam ophthalmiam, cum quacunque alia re oculos lavare. Ego autem, ut potentissimum remedium prophylacticum commendo temperantiam in rebus physicis ac moralibus; quia intemperantia in hoc climate magis, quam alibi locorum, corpus debilitat. Suadeo praeterea omnibus iis, qui bona valetudine non fruuntur, qui languidi sunt, et quamcunque ob causam ophthalmia adficiuntur, ut tincturam chinae sumant, cui sufficiens quantitas limaturae ferri adjici potest.

Non raro apud individua debilia observatur, eorum excretiones alvinas lente et inordinate fieri. In tali casu cum utilitate adhibui parvas doses aloës,

---

(*) Optimum Cochel praeparatur, si quaedam portio thuris, sub sartagine comburitur, cum quadam aquae quantitate, quae super duos tresve parvos lapides collocatur, et linteo crassiori obtegitur. In fundo sartaginis adhaeret sensim materia nigra, quae colligitur, et cujus exigua portio quotidie inter palpebras inducitur.

quas ita exhibui, ut tantum unam, vel duas evacuationes alvi per diem cierent.

Quamvis incolae Kairi omnino persani sunt, reperiuntur tamen inter eos complures, praesertim inter pauperes, apud quos diaeta multum ad frequentiam ophthalmiae contribuere videtur. Existimo igitur, non solum vitam sobriam in Aegypto esse ducendam ad effugiendam ophthalmiam, sed vitandum esse etiam frequentem usum caeparum crudarum, allii, leguminum flatus excitantium, fructuum horreorum et austerorum, et inprimis usum olei rancidi, cujus foetor jam sentitur, si penes numerosas tabernas transeas, in quibus pisces torrentur. Infima plebs persaepe pisces sale conditos semiputres vorat. Jam sola recordatio eorum foetoris nares adficientis, nauseam excitat, et plus minusve nocet.

De methodo ophthalmiam curandi.

REGULAE GENERALES.

In curatione hujus morbi sunt regulae generales et particulares observandae, ad priores pertinent sequentes:

1. Omnis aegrotus ophthalmia Aegyptiaca adfectus, debet actionem luminis praecavere, tegendo oculos tela sericea, viridi aut nigra: — et etiamsi morbus non sit gravis, oportet tamen aegrotum in cubili obscuro commorari. Aeque essentiale est, ut is utrumque oculum, tegat, etiamsi tantum unus sit ophthalmia adfectus.
2. In omnibus casibus ophthalmiae, utile esse inveni, si quotidie aegrotus lavacrum pedum ex aqua simplici, vel cum lixivia adhibeat.
3. Vesicantia temporibus, nuchae, aut etiam brachiis adplicata, aeque utilia sunt, in quocunque gradu

morbi medicus in auxilium vocetur; ego tantummodo ea ut rubefacientia commendo; suppuratio non solum inutilis est, sed etiam noxia.

4. Si ophthalmia gravis est, et per brevius vel longius tempus perdurat: prudentiae est, nullum aliud remedium oculis adplicare, praeter vapores aromaticos (*).

5. In omnibus casibus, ubi malum recens est, nec rapide progreditur, admirabili cum effectu exhiberi potest unguentum rubrum S. Yvesii, de cujus compositione et adplicatione inferius loquar.

6. Etiam scarificationes versus angulum exteriorem oculi, vel in fronte institutae, in omnibus ophthalmiae gradibus perutiles sunt; errares tamen, si crederes, utilitatem, quae exinde obtinetur, a quantitate sanguinis effluentis dependere. Ego summacum adtentione hanc rem examinavi, et perspexi, levamen, quod scarificationes adferunt, tantummodo ab irritatione, quam efficiunt, dependere.

7. Diaeta quoque, quae in hoc morbo observari debet, meretur etiam inter regulas generales poni.

Plurimi medici practici crediderunt, aegrotis ophthalmia laborantibus, inculcandum esse, ut severam diaetam, vel ut me commodius exprimam, diaetam debilitantem observent, similem illi, quae aegrotis morbo sthenico, vel inflammatorio laborantibus praescribi solet.

(*) Vapores aromatici, sequenti ratione parantur: sume florum Chamomillae, sambuci, lavandulae, singulorum unciam dimidiam, injice eos aequae bullientis sesquilibrae, tege vas cum charta in formam infundibuli convoluta, et ope hujus dirige vapores mox versus unum, mox versus alterum oculum.

Si opinio mea ratione plurium momentorum curationis ophthalmiae, ab aliorum opinione differt, non minus ea differet ab iis etiam ratione diaetae observandae. Experientia me docuit, quod ubi opthalmia tantummodo morbus localis est, aegrotus impune — more sibi solito vivere possit; et periculosum fore, si is ad diaetam debilitantem cogatur, et id facile ophthalmiae subsequenti cum debilitate, occasionem daturum, ut jam sub initium hujus tractatus monui. Si vero ophthalmia localis, cum asthaenia universali conjuncta est, tunc duae diversae circumstantiae apud tales aegrotos observantur: nonnulli nempe nulla plane signa laesae digestionis; alii vero signa, quae medici g a s t r i c a, s a b u r r a l i a, b i l i o s a adpellant offerunt.

In primo casu non sufficit, aegroto diaetam ei consuetam, concedere; praescribenda ei sunt juscula in primis gelatinosa, et aromatibus condita, carnes tenerae assatae, ova recentia, vinum, Caffea etc. In secundo casu oportet eadem exhibere, sed viribus digestionis ventriculi fortioribus, aut debilioribus adaptata; seligenda praeterea sunt remedia, quae signa gastrica tollere possint, ut aquae aromaticae, liquor anodynus, decoctio herbarum amararum, vel quaedam tincturae stomachicae, exempli gratia, tinct. Whytti, Struchtonis, Hoffmanni etc.

Superfluum fortassis foret, hic monere, quod ubi ophthalmia cum debilitate eam sequente, conjuncta est; — diaetam roborantem praescribi debere. Regulam hanc in mea praxi sequens, exinde omnem utilitatem, quae tantum exspectari potuit, obtinui, nec unquam me hujus principii, quod adoptaveram, poenituit. Ophthalmia adfecti, non minus mirabantur, quam sibi gratulabantur, cum viderent, se a

me ut convalescentes pertractari, qui jam e nosocomio egressuri essent, quippequod iis deficiente vino, quatuor uncias spiritus vini per diem exhibuerim. Potio haec, militibus adeo grata, non habuit sortem aliorum remediorum;— et cum simulando, me ipsum quasi accusassem, quod eis multum spiritus vini porrexerim, vel certe morbum oculorum prolongaverim, continuo adfirmarunt, eum sibi multum prodesse. Juvenis quidam vehementi ophthalmia adfectus, versus vesperam epotavit fere libram spiritus vini; altera die cum stupore vidi, ophthalmiam ejus fere penitus disparuisse. Obstupescens miles ei vicinus exclamavit: Ah domine medice, spiritus vini facit miracula!

Remedia roborantia in primis indicata sunt in ophthalmia cum asthenia universali subsequente. China, et remedia amara, hic maxime conveniunt. At per longissimum tempus eximio hoc cortice caruimus; hanc ob caussam tentamina cum eo, ut optassem, multiplicare non potui. Hinc optarem ut alii medici, quos sors in Aegyptum ducet, diligenter Chinam, et alia remedia roborantia, in hoc morbo adhiberent, — nam intime sum persuasus, defectum felicis exitus, in eo pertractando, in primis a penuria horum remediorum dependisse.

Medici et Chirurgi Anglici, a longo inde tempore Chinam summacum utilitate, in ophthalmiis chronicis ac rebellibus adhibent; et ejus utilis effectus adhuc certior est, si simul debitae doses calomelis exhibeantur.

Superest nunc, ut de regulis particularibus petractandae ophthalmiae, pro ratione diversorum graduum ejus intensionis, — loquar.

REGULAE SPECIALES.

In primo gradu ophthalmiae, spes est, morbum intra paucos dies, sponte evaniturum. Ceterum, cum methodus exspectans, non omnibus individuis, tam ob eorum occupationes, quam ob eorum characterem, plus minusve meticulosum et inpatientem conveniat, congruum est, in similibus casibus, unguentum ophthalmicum rubrum adplicare, de quo infra loquar.

In secundo gradu ophthalmiae, praeter remedia, quae in regulis generalibus indicata sunt, oportet adhibere hoc idem unguentum.

In tertio gradu ophthalmiae, curatio plane similis est curationi ophthalmiae secundi gradus; semper tamen memoria tenendum, exacte investigari debere, an morbus tantummodo simpliciter localis sit, vel cum debilitate universali, — vel subsequente, conjunctus; quo sic secundum regulas, et principia jam stabilita pertractari possit.

In quarto gradu ophthalmiae, vesicantia repetitis vicibus, temporibus, nuchae, vel etiam brachiis, ut rubefarientia adplicari debent. Etiam scarificationes, in externo angulo oculi, in fronte, immo et in occipite, in similibus casibes summe utiles sunt. Jam in Italia observavi, locis scarificatis vesicantia imponi posse, quae, quod quidem non negandum, saepe permagnos dolores excitant; sed malum celerrime sublevant; id quod iteratis vicibus observavi; nec enim alias hanc methodum commendarem, cujus utilitatem plures medici angli agnoverunt. — Praescripsi etiam lotiones oculorum cum aqua tepida; cum summe essentiale sit, ut maxima puritas observetur.

Denique declaro, in hoc gradu morbi omnia remedia topica non solum esse inutilia, sed etiam certo noxia. Unicum remedium quod ad aegrotum aliquan-

tum sublevandum adhiberi potest, sunt vapores aromatici, qui tamen inutiles sunt, si oculi sint clausi.

Dolores urgentes, quibus aegrotus adfligitur, permoverunt complures medicos et chirurgos ad applicanda collyria cum opio, sedantia vel anodyna dicta. Sed ex duobus alterutrum accidit: aut nimirum parum laudani tali collyrio admiscetur, et tunc nihil id prodest, aut magna opii dosis adjicitur, et tunc exinde multum dolores augentur, et morbus in pejus ruit. Alii artis medicae periti exhibuerunt interne laudanum ad sopiendos dolores; sed cum id tantum semel intra vigintiquatuor horas in dosi 20 — 30 guttarum exhibuerint, raro exinde utilitatem habuerunt. Falso id tribuebatur vehementiae morbi, quod timidati medici adscribi debuisset. Quod me adtinet, cum praestantiam hujus remedii magis noverim, et innumeris exemplis edoctus fuerim, quantum opii, aegroti ophthalmia laborantes, perferre possint, praesertim si id in parva dosi exhibeatur: ipse expertus sum quandoque aegrotos meos intra 24 horas unam, usque duas drachmas laudani, admiranda cum utilitate absumsisse; expertus quoque sum, utilius esse, si opium, ut dicunt, in substantia exhibeatur. Ubi aegrotus interdiu multum doloribus adfligebatur, dedi remedii hujus duo grana omni bihorio: si e contrario is tantum vesperi se male habebat, exhibui 6 — 10 pilulas ex opio paratas, cujus singula, — granum unum opii continebat, jussique aegrotum pilulam unam singula hora sumere, — usquedum somnus superveniret.

Permulti aegroti successive singula quaque hora, sumserunt duo, immo et quatuor grana opii, ita ut plures eorum usque ad vesperam 12 — 24 grana ejus deglutiverint.

Consuete aegroti tales, altera die mane intimas gratias medico egerunt, pro quiete, quam is eis procurasset; immo vidi quosdam, quibus verba deerant, ad exprimendam felicitatem, — qua perfruerentur.

Si insomnia, et vehementes dolores ophthalmiam prolongant, et augent, indubium est, finem doloris, et quietem multum ad sanationem morbi contribuere posse.

Si dolor certa quadam hora redire solet, quod plerumque circa vesperas evenit, observavi tunc opium noctu exhibitum, parum levaminis aegroto adferre. In tali casu, qui non rarus est, opium sumendum aliquot horis ante reditum doloris, si exinde aliquam utilitatem obtinere velis.

Cum vehementia doloris, tumor conjunctivae, motus febriles, qui interdum occurrunt, metum incutere possint, aegrotum visum amissurum; nonnulli medici existimarunt, se tunc rationem sufficientem habere, ad unam, vel plures venae sectiones instituendas. At ego non solum nullam utilitatem exinde vidi, sed potius observavi, exinde morbum, et in primis dolorem notabiliter augeri. Ego apud aegrotos, quos curavi, tam parum de venae sectione cogitavi, ut si ea adeo necessaria esset, ut quidam affirmant, complures coecos ob neglectam venae sectionem inter meos aegrotos numerare debuissem, interim nemo eorum poenam hujus meae opinionis tulit.

Denique indigenae ipsi, qui ut alibi etiam mos est, libenter sanguinem in omnibus morbis fundi vident, jam a longo inde tempore experientia edocti sunt, venae sectionem in hac ophthalmia esse noxiam.

Purgantia adhuc majorem famam, quam venae sectiones in curatione ophthalmiae habebant. Jam

Hippocrates et Galenus, ea in hoc morbo commendarunt; verum ad hoc respondeo, neutrum eorum ophthalmiam Aegyptiacam novisse, quae, ut jam dixi, certe non est naturae inflammatoriae. Denique ego nunquam auctoritatem veterum vel recentiorum coece sequutus sum, sed semper rationi et experientiae obediebam. Duce hac pronuntiare ausim, purgantia in plurimis casibus, esse aut noxia, aut plane inutilia. Non ignoro quidem persaepe digestionem esse apud eos turbatam, qui ophthalmia laborant, et linguam eorum esse quandoque muco obductam, albam, vel subflavam; praeterea evacuationes alvinas lente fieri; sed si consideremus intimam sympathiam, quae inter oculos, et organa digestionis locum habet, si perpendamus totam mutationem in ratione vivendi, dolores, insomnia etc. facile illa phoenomena, ex observationibus magis congrue explicare poterimus, quam ex hypothesi, quae supponit, reperiri in ventriculo bilem corruptam, et materiam irritantem. Iterum iterumque adfirmo, symptomata gastrica, quae nobis individua ophthalmia adfecta, quandoque offerunt, nihil aliud esse, quam effectus sympathiae; et id quidem adeo certum est, ut videas consuete impuritatem linguae, amaritudinem oris, defectum appetitus ciborum evanescere, quamprimum vehementia morbi imminuitur. Praeter ea, si medici experientiam indigenarum in consilium vocassent, quibus certe sanum judicium denegari non potest, minus pertinaciter institissent remediis, quae aut noxia, aut inefficacia sunt, et debilitando vires, morbum prolongant. Fieri tamen potest, latere interdum in intestinis colluviem materiae, quae successu temporis, individuum ophthalmia laborans male afficit; atque in tali so-

lummodo casu, aut simplicia clysmata, aut rheum, vel Jalappam in exigua dosi adhibere soleo.

Tertium remedium, quod ut panacea universalis in ophthalmia proclamatum est, sunt vomitoria. Nonnuli ea ob hanc caussam laudarunt, quod post eorum usum aegroti magnam quantitatem bilis evomuerint; alii, quod transpirationem cutis promoverit. Sed innumera exempla me docuerunt, usum remediorum vomitoriorum magis ex pertinacia, quam ex rationibus solidis suaderi. Ego non existimo necessarium esse, remedia vomitoria exhibere, quae in climate Aegypti magis corpus debilitant, quam in aliis regionibus; nec vidi medicos, qui ea suis aegrotis exhibuerunt, in curatione ophthalmiae, me feliciores fuisse.

In quinto gradu ophthalmiae, videlicet ubi tumor palbebrarum dissipatus est, ubi destillatio materiae purulentae, ac rubor oculorum imminuta sunt; denique ubi malum, ut id supra descripsi, fixum esse videtur: principale remedium ad penitus tollendam ophthalmiam, est unguentum ophthalmicum rubrum. Nullum certe remedium mihi notum est, quod magis votis meis respondisset, ac hoc. Summam utilitatem id medico adferet, qui non ex coeca consuetudine agit. Multi mirabuntur fortassis, me unguentum antiophthalmicum rubrum, aliis in curanda ophthalmia Aegyptiaca praeferre. Sed hic earum stupor, saltim maxima ex parte imminuetur; si perpenderint, etiam complures alias inflammationes passivas, vel asthenicas, ope mercurii dissipari. Hujus generis sunt, angina maligna, hepatitis Indiae orientalis, et dysenteria climatum calidorum.

Unguentum hoc nihil aliud est, quam species quaedam unguenti St. Yves, quod sequenti ratione pa-

ratur: sume tres uncias butyri recentis; liquefac id cum dimidia uncia cerae albae; junge his dein drachmam unam oxyduli hydrargyri rubri subtilis, et permisce omnia ope spathae ligneae ad perfectam conjunctionem.

Ego hoc unguentum sequenti ratione adhibere soleo: sumo ex eodem particulam circiter in magnitudine dimidiae lentis, immo etiam minorem, super apice parvi et rotundi styli, deprimo deinde ope digiti indicis manus sinistrae, palpebram inferiorem aegroti; et pono unguentur in medio inter bulbum oculi, et palpebram inferiorem, jubeo dein aegrotum oculos eo momento claudere; stylum illatum rotando eum inter digitos, retraho, quo sic unguentum in oculo maneat. Deinde leniter palpebra oculum perfrico, ut sic unguentum super ejus superficiem aequaliter diffundatur.

In genere, si unguentum hoc adhibere velis, sequentes regulae observandae erunt:

1. In quantum fieri potest, ipse id adplices, aut per aliquem adplicari jubeas, cujus diligentiae fidere possis; etenim si id ipsi aegroto relinquas, metuendum, ne is justo majorem quantitatem unguenti ingerat.
2. Necessarium quoque erit, ut te quavis occasione de eo certum reddas, in quantum hoc unguentum irritet, et quamdiu irritatio continuet? Oportet enim secundum sensum aegroti, majorem vel minorem quantitatem unguenti adplicare. In genere observavi, quod ubi aegrotus levem tantum dolorem persentit, dosin unguenti subseque, paullulum augeri posse. Si autem dolor, quem id excitat, vehemens sit, et diutius continuet, usum ejus non esse con-

gruum, et hinc ab eo abstinendum, usquedum pateat, irritabilitatem oculorum adeo esse imminutam, ut ii unguentum denuo perferre possint.

3. Ego consuete semel tantum per diem unguentum ophthalmicum adplico. Si sensibilitas oculorum non est nimia, libenter id versus vesperam applico; at si nulla notabilis differentia occurrat, potest id etiam mane adplicari.

4. Si aegrotus statim post primam adplicationem hujus unguenti levamen sentit, potest cum quadam verisimilitudine praedici, eum brevi ab ophthalmia liberatum iri; si e contrario, post primam aut secundam adplicationem, nulla mutatio animadvertitur, oportet usum unguenti per aliquot tempus seponere, et dein ab eo exoptatum effectum habebis.

5. Methodus quam hic propono, et quam felici cum successu sequebar, meretur aliis modis unguentum ophthalmicum adplicandi, longe praeferri: et quidem ex duabus caussis principalibus; primum, quia hac ratione tantummodo determinata quantitas remedii hujus activi oculo infertur; secundo quia haec dosis, supertotam internam superficiem palpebrarum et oculi aequaliter extenditur, et distribuitur. Nonnulli chirurgi adplicarunt unguentum ophthalmicum secundum methodum D e s s a u l t i i, quae ut notum est, in eo consistit, quod unguentum praecipue palpebris illinitur; alii id tantummodo superficiei utriusque tarsi adplicarunt; at utraque haec methodus eadem habet incommoda, nempe quod determinata quantitas hujus remedi in oculum non perveniat,

nec aequaliter per totam ejus superficiem diffundatur.

Nihil habeo in laudes collyriorum dicendum, quae in ophthalmia commendantur; nam quamvis videatur ea quandoque esse utilia, at aeque certum est, ea secundum meas observationes saepe ex duabus caussis malum augere, quarum gravitatem medici non satis cognoverunt. Prima est, — quod ubi collyriis utimur, quae ex partibus ea constituentibus, in justa proportione composita sunt; indeterminata quantitas substantiarum (sit venia verbo) organo nimis sensili adplicatur, quae quamvis dilutae, consuete tamen ad classem remediorum irritantium pertinent.

Secunda ratio est, occurrere quandoque aegrotos, qui nimis impatientes, collyriis abutuntur, adplicando ea frequenter, et in magna quantitate, quod eis nocet, quin id medicus semper animadvertat. Hinc ubi ob singulares quasdam circumstantias, alicui meorum aegrotorum collyria praescribere debui, semper id sub ea conditione feci, ut in situ horizontali, supini jacerent, et certo numero guttas oculis instillari juberent. Ope hujus praecautionis incommoda, quorum supra memini, penitus evitari poterunt, ac certo judicari poterit, an malum exinde augeatur, vel diminuatur.

Frequenter etiam observatur, palpebras per totum morbi decursum invicem glutinari, et tunc una pars lachrymarum, quae in tali casu semper acres sunt; vel etiam materia purulenta, quae continuo secernitur, retinetur, oculos magis atque magis irritat, ac dolores et morbum auget. Hinc perutile est, si oculi ad impediendam palpebrarum glutinationem interdiu et noctu aqua tepida eluantur. Si

tumor palpebrarum nimis magnus est, et materia purulenta ob eum retinetur, oportet frequenter injectiones aquae tepidae, intra palpebras facere.

Superest adhuc, ut mentionem faciam remediorum curationis, quae incolae Aegypti omnino in ophthalmia adhibent, quod tanto libentius suscipiam, cum eorum rationem medendi, ex longo experientia haustam, saepe in mea praxi felici cum successu adhibuerim.

Fundamenti loco indigenae pronunt, ophthalmiam orientem dissipari posse, si nonnulla remedia stimulantia adhibeäntur; omnia autem remedia esse superflua, vel plane noxia, si ophthalmia semet jam sufficienter evolvit, et tandem remedia tantum tunc cum utilitate adplicari, postquam prima vehementia morbi, et rubor oculorum maxima ex parte, sponte evanuerunt. Consuete perstat tunc adhuc destillatio materiae purulentae, vel lachrymarum, — dolor, pruritus, extremus lucis sensus, et major minorve debilitas visus, quod aegrotos maxime inquietos reddit. Remedium apud Aegyptios maxime usitatum, et in hoc morbo celebratissimum est semen Chichm. Ego in opusculis meis p. 38. omnia exposui, quae proprietates et usum hujus seminis adtingunt.

Diversae sequelae ophthalmiae Aegyptiacae.

Sequelae ophthalmiae Aegyptiacae sunt innumerae, et non semper facile sanabiles.

Primum et frequentissimum incommodum consistit in nimia sensibilitate luminis, et debilitate visus, quae se pro ratione vehementiae morbi antecedentis habent. Ut summae sensibilitati oculorum medela adferatur, suadendum, ne aegrotus diu in

habitatione obscura maneat, et claritatem luminis in ea sensim augeat. Ii, qui ob circumstantias urgentes, coguntur e habitatione sua egredi, recte agent, si oculos suos saltim ex parte tela sericea viridi, et vitris ocularis ejusdem coloris, muniverint. Ad recuperationem visus accelerandam, ubi nempe nullae maculae aderant, cum utilitate utebar saccharo albo, vel etiam seminibus Chichm. In casibus summe refractariis,— adhibui etiam unguentum ophthalmicum rubrum, cujus adplicationem per longius tempus continuavi.

Secunda molesta sequela ophthalmiae est staphyloma, quod mox partem quandam corneae transparentis, mox totam corneam transparentem occupat. Sed cum non habuerim occasionem hanc morbi speciem pertractandi, nihil de remediis curationis, quae hic inprimis adhiberi deberent, dicere possum. Id solum adferam me vidisse, maculas tales sponte disparuisse, et alia incommoda, auxilio remediorum leniter corrodentium evanuisse.

E contrario saepe observavi, corneam semistaphylosam, et obscuram, praesertim apud individua quae jam pluries ophthalmia laborarunt. In tali casu visus dimidio abolitus est,— atque tunc raro spes ulla sanationis superest. Parum spei quidem habui mali hujus sanandi, sed cum me saepe aegroti rogassent, immo etiam importune precibus exagitassent, ut eis succurrerem,— eorum curationem suscepi; quae mihi praeter spem meam mirum in modum successit. Consistit autem ea in sequenti remedio. Sumuntur nempe quinque unciae aquae purae, in quibus duo grana muriatis hydrargyri hyperoxygenati solvuntur. Aegroto in situ horizontali jacenti, quotidie in utrumque oculum gutta una hujus

solutionis instillatur. Si post instillationem dolor lenis sequitur, oportet vim ejus subseque exacuere; si e contrario solutio haec dolorem vehementiorem excitat, solutioni adhuc paululum aquae adfundendum, et dein usus ejus adhuc per plures mensens continuandus, usque dum perfecta sanatio obtineatur. Cum individua, quae in hoc morbo curavi, constitutionis debilis essent, appetitu ciborum carerent, nec alvus rite responderet, dedi eis cum insigni utilitate pilulas ex aloë, cujus dosin ita adaptavi, ut tantum bis intra diem alvum moverent.

Alia sequela ophthalmiae consistit in eo, quod glandulae Meibomianae obstruuntur, et in statu relaxationis permanent, quod facile ex tumore palpebrarum cognoscitur. Exinde citius tardiusve cornea obscuratur; interdum palpebra inferior colorem obscure rubentem adsumit, et erosiones tarsorum quandoque occurrunt. In diversis hisce casibus cum utilitate adhibui unguentum antiophthalmicum, vel solutionem muriatis hydrargyri hyperoxygenati.

Alia porro sequela frequentis ophthalmiae est, quod cilia versus bulbum oculi convertantur, eumque apicibus suis continuo irritent, et omni momento ruborem et lachrymationem permolestam excitent. Morbum hunc optime descriptum invenies sub nomine trichiasis (Vide Harder dissert. de ectropio et trichiasi. Jenae, 1785.

Experientia me docuit rem summi momenti esse, ut cilia adtente examinemus, ubi nobis homines occurrunt, qui omni momento ophthalmia afficiuntur. Consuete enim caussa talis ophthalmiae sunt nonnulli pili palpebrarum superiorum, qui oculum irritant. Vidi persaepe individua, apud quae pili ciliorum indistincte oculo incumbebant. Ad malum hoc

removendum simplicissimum remedium est, si omnes pili, ope vulsellae evellantur, quorum directio vitiosa est. Pernecessarium autem est, ut ii quam proxime tarsum, et quam celerrime evellantur. Si individuum hoc malo affectum, sub hac operatione magnos dolores patitur, ea repetitis vicibus suscipienda. Sed quantumcunque laboris in evellendis pilis cum eorum bulbis, impendas; is tamen ita difficulter saepe succedit, ut ego ei supersedere debuerim. Hinc post aliquot tempus eadem incommoda, et eadem necessitas hujus operationis redit. Bell, celebris professor Edinburgensis, suadet, ut si huic malo mederi velis, cilia versus superiora inflecti, et ope emplastri glutinantis palpebrae adglutinari debere, quo sic aliam directionem obtineant. Egomet ipse non habui occasionem, experiundi, an haec methodus levamen aegroto adferat?

Richter, ad tollendam hanc vitiosam directionem ciliorum, suadet, ut spiritus salis communis dimidiae superficiei tarsi, vel etiam solutio lapidis infernalis, ope penicilli illiniatur, quo sic tota facies interna tarsi, postquam pili evulsi sunt, cicatricetur. Viri me magis periti, decernent, quaenam methodus hic praeferri mereatur. Vidi etiam post ophthalmiam, inversionem, mox palpebrae superioris, mox inferioris, et quandoque utriusque sequutam fuisse. Cum nullam occasionem habuerim, observationes speciales in hoc morbo instituendi, cujus natura et curatio praeterea nota est, nihil amplius habeo de eo dicendum. Ceteroquin praefero aliis, methodum Jannini, quae etiam in casibus inveteratis utilem se praestitit.

DE

DYSENTERIA AEGYPTIACA.

DE DYSENTERIA AEGYPTIACA.

Morbus, post pestem maxime in Aegypto timendus, est dysenteria, quae huic climati inhaeret, et frequentius Europaeos, quam indigenas invadit. Quamvis morbus hic plane eadem symptomata offerat, quae in Europa in dysenteria observantur, multum tamen is ab hoc differt, ratione suae naturae, et modi curationis, quem requirit. Dysenteria Aegyptiaca prorsus eadem est, ac ea, quae in India orientali, vel sub zona torrida observatur. Ut eo clarius momentum hoc, medico practico adeo essentiale, explicem, plures animadversiones praevias adferam, quae fortassis ad illustrandum objectum, de quo hic ago, quidpiam conferre poterunt.

Medici omnes, qui in climatibus calidis habitarunt, annotant, ibidem locorum varias lethales dysenterias, easque persaepe ad curandum perdifficiles, regnare. Sed paucissimi eorum, essentialem differentiam, perspexerunt, quae inter has, — et dysenterias Europae, locum habet. Complures crediderunt, morbum hunc in utraque regione unum eundemque esse. Secundum hanc opinionem, nonnulli medici exercitus Gallici in Aegypto, morbum hunc considerarunt et curarunt; et hoc fortassis etiam in caussa fuit, quod nullus eorum de hoc morbo scripserit, qui tamen tot aegrotos in exercitu

Gallico peremit. Tantummodo medici Savaresi (*), Renati et Ceresole, eandem mecum de eo opinionem habuerunt.

Non ignoro, cognitionem nostram de diversis speciebus dysenteriae esse adhuc imperfectam; nam dum alii eam pro febre putrida habent, quae intestina invadit, — alii eam ut catarrhum intestinorum considerant, — alii denique eam ab acrimonia bilis, a saburra, vel a suppressa transpiratione, — ab exulceratione intestinorum dependere affirmant; — dantur etiam nonnulli medici, qui dysenteriam pro morbo nervoso intestinorum habent, et cum hac opinione videtur mea quam maxime congruere. Sunt etiam medici chymici, qui eam ab azoto oxydato (sit venia verbis,) dependere docent; alii praeterea eam ut morbum inflammatorium considerant. (**)

Notandum differentiam, quae in dysenteriis locum habet, non tam diversitatem symptomatum, quam actionem et effectus causarum, a qua pendent, attingere. Cum hunc morbum frequenter et per plures annos, summa cum attentione tractaverim: plane persuasus sum, eum neque characterem inflammationis, nec putredinis, nec malignitatis habere, et credo, ei optime nomen dysenteriae adynamicae, vel irritativae, vel dysenteriae climatum calidorum, quae sedem suam in

(*) Vide: Savaresi, sur la fiévre jaune. Naples, 1809. p. 20. Vide etiam Büchner de singulari quadam Indorum orientalium dysenteria, ejusdemque praecipue nostra aetate differentia. Halae, 1752. Inter Halleri disputationes ad morborum historiam et curationem etc. Tom. 3. p. 427.

(*) Wedekind über die Ruhr. p. 4.

membrana mucosa intestinorum habet, convenire. Plurimi medici anglici, qui dysenteriam in climatibus calidis observarunt, credunt eam a quapiam affectione hepatis dependere. At mihi periculosum videtur de ea regulam generalem statuere; et quamvis ex parte verum sit, affectionem hepatis in ea adesse; haudquaquam tamen evidens est, an haec pro caussa, vel pro effectu morbi habenda sit? Mihi nihilominus videtur, dysenteriam ab infinite multis circumstantiis, et diversis modificationibus dependere posse, in quas medicus summam attentionem convertere debet, ut curationem ejus recte instituat.

Medici omnis aevi diversas opiniones de eo habebant, utrum miasma dysenteriae proprium, an vero nullum tale existat? Qui de hac controversia exacte edoceri volunt, legant erudite conscriptum Caput de Dysenteria in Dictionnaire des Sciences médicales Vol. X. p. 334. Hic sufficiet dixisse, observationes summa cum attentione a me institutas, nulla mihi data obtulisse, quae probarent, dysenteriam Aegypti esse contagiosam.

Ad melius intelligendum, cui rei innitatur denominatio dysenteriae adynamicae, monendum primum habeo, digestionem apud omnia fere individua in Aegypto, inde ab eorum nativitate, ad mortem usque languere: hominesque ibidem minus comedere, quam in climatibus temperatis, quia communiter digestio illic lentius peragitur. Constanter observavi, ob levissimam caussam, et minimo errore in diaeta commisso, fastidium ciborum, flatus, interdum et diarrhoeam, vel etiam dysenteriam oriri. Medicus quotidie similes observationes apud indigenas Aegypti facere potest.

Si jam consideremus, militem Gallicum, qui in

Aegypto e navi ad terram expositius, se subsequenter ob privationes omnis generis infelicem sensit, — praeterea interdiu calore oppressus, noctu frigori expositus, et itineribus molestissimis fatigatus fuit: facile perspiciemus, ejus valetudinem magnam mutationem subire debuisse, quae pro ratione circumstantiarum adhuc augebatur.

Exercitus Gallicus, paullo post, quam Alexandriae e navibus ad terram expositus fuisset, versus Kairum viam ingressus, per plures dies in hoc itinere aqua carebat; tandem sitim suam aquae Nili potatione, et esu cucurbitarum citrullorum, quas avide consumsit, restinguere conabatur. Post permolestum iter 24 dierum, est post celebre proelium ad pyramides dictum, viginti millia copiarum, in vastam Urbem Kairum intrarunt, ubi sufficientia quidem nutrimenta, at vini, et potuum spirituosorum defectum deprehenderunt. Brevi post diarrhoeae et dysenteriae inter Gallos se manifestarunt, quas solummodo immoderato esui fructuum, et in primis potationi aquae Nili adscribere voluerunt. Paulo post permulti recenter advenae, crapulae, et omnis generis excessibus indulserunt. Mulieres Aegyptiacae inter se de primatu apud recenter advenientes certabant, et testimonia amoris, quae Galli ab iis obtinuerunt, multum limites excesserunt, quos prudentia, omnibus recenter e navibus expositis advenis, in tali climate, ut Aegyptus est, suadet.

Hae sunt principales caussae, ob quas diarrhoea et dysenteria exercitum Gallicum, tempore adventus ejus, in hac peregrina regione invasit. Una pars hujus exercitus victoris, profecta est in Aegyptum superiorem; altera versus mare rubrum, et limites desertorum Asiae, iter movit; tertia persequebatur pe-

des, et in summa aestate, indefatigabilem equitatum hostium. Summis his fatigiis, accessit aliud incommodum, quod nempe continuo milites rori expositi, sub dio dormire debuerint. Noctes enim in Aegypto frigidae sunt, et pro ratione caloris, qui interdiu locum habet, copiosior ros, valetudini maxime noxius, qualibet nocte cadit.

Omnes hae circumstantiae multum ad mutationem valetudinis militis Gallici contulerunt; et certe mirum adhuc est, eum tot malis, interitum minantibus, adeo restitisse; et post tot fatigia et pericula, sat magnam partem, tanti et tam pulchri exercitus, in Galliam rediisse.

Alia, peraeque attentione digna observatio est, dysenteriam rariorem fuisse apud ditiores; sed eam neque his pepercisse, si legis diaeteticae, magni omnino momenti obliviscebantur, nempe in climatibus calidis maxime sobrietati studendum esse.

Existimo, me satis in medium protulisse, ut evidenter demonstrarem, omnes causas, quae universum systema organismi, vel in specie, organa digestionis debilitant, facillime dysenterias in Aegypto excitare.

Communiter morbus hic se medico sub triplici forma offert, vel ut d y s e n t e r i a l e v i s, vel eam symptomata v i o l e n t a annunciant, vel ea jam characterem c h r o n i c u m adepta est. Interdum diarrhoea simplex, per aliquot dies continuans, eam antecedit; sed ut plurimum ea subito comparet; alias eam languor organorum digestionis, et debilitas universalis antecedit. Communiter egestiones alvinae sunt plus minusve sanguinolentae, cum tenesmo et torminibus conjunctae. Sed vidi etiam homines, quorum complexio robusta erat, sanguinem purum, in

magna copia egessisse. Huic morbo rarissime est febris characteris determinati juncta. Apud complures aegrotos admirabundus observavi, systema arteriosum plane tranquillum fuisse.

Alia animadversio, quam hic facere debeo, est, videri mihi dysenteriam apud individua robusta, sub initium solummodo affectionem localem organorum digestionis esse; sed si aliquantulum negligatur, eam, uti apud individua debilia, in morbum universalem mutari, cujus actio principalis organa abdominis petit.

Diversae hae animadversiones docent, rem summi momenti esse, ut variae hae conditiones, ad lectum aegroti probe distinguantur. Non minus essentiale est, ut sciamus, in nulla alia specie dysenteriae, nimiam hanc irritabilitatem intestinorum, et accelerationem motus peristaltici occurrere. Quamvis rarum sit, ut jam antea monui, febrim cum dysenteria conjunctam esse; vidi tamen casus, ubi hanc febris remittens, ac interdum etiam intermittens concomitabatur. Oportet omnino tres diversas periodos in hoc morbo distinguere; prima est, a momento invasionis usque ad diem decimam; haec est periodus irritationis et plena periculi; secunda a momento relaxationis, quae communiter ab undecima, usque ad vigesimam diem locum habet; ast periodus irritationis interdum ultra decimam diem protrahitur; et in hoc casu etiam secunda periodus longe tardius succedit. Si dysenteria ultra 20 vel ad summum 30 dies durat; referenda est ad classem dysenteriarum c h r o n i c a r u m. Haec distinctio tanto magis necessaria mihi videbatur, cum quaelibet periodus curationem plus minusve differentem exigat.

Dysenteria chronica, quamvis sub initium minus periculosa, offert tamen permultas circumstantias, quas hic describere oportet. Communiter symptomata hujus morbi sunt minus violenta, atque infinitam mutabilitatem ostendunt. Saepissime aegroti eo affecti, perbonum appetitum ciborum, immo quandoque voracem habent; cui si satisfaciant, nihil inde emolumenti, sed, ut plurimum, molestias augeri experiuntur. Communiter etiam alvi dejectiones frequentiores sunt pro ratione temporis, quo morbus jam durat, et attenuatio virium eum gradum tandem attingit, ut aegroti haud amplius semet e lecto levare possint. In hoc casu observatur exigua febris lenta, conjuncta cum dolore in dextro aut sinistro hypochondrio, plus minusve sensibili, et post crudeles afflictiones, quas aegri per duos tresve menses passi sunt, plerumque malo huic succumbunt, licet quaecunque remedia medicus iis propinet, et quamcunque demum methodum curandi sequatur.

Occasionem habui, me de eo persuadendi, mortalitatem in dysenteria chronica multum eam superare, quae in dysenteria acuta occurrit. Dum cadavera hoc morbo defunctorum aperirentur, inveniebantur in abdominae variae mutationes, frequenter deprehendebantur signa inflammationis intestinorum, exulcerationes, et quandoque maculae gangraenosae; interdum reperiebantur etiam in hepate majores minoresve abscessus.

Hic se sponte quaestio maximi momenti offert: an nempe variae hae mutationes pro caussa, vel pro effectu dysenteriae haberi debeant?—Ut proinde quaestio haec sufficienter solvatur, oportet in antecessum determinare, utrum in dysenteria Aegyptiaca

vera inflammatio intestinorum adsit, vel non? Ego ex sequentibus rationibus nego. Morbi, quos inflammatorios vocant, in Aegypto rarissimi sunt; (*) antequam de hac veritate persuasus fuissem, adhibui curationem antiphlogisticam, et in primis venae sectiones, in magna irritatione, et apud individua robusta, ac juvenilia institui; ast effectus infausti me mox convicerunt, periculosum fore, si huic opinioni porro inhaererem. Sed dixerit quispiam: quomodo omnia haec morbi phoenomena, sicut et ea, quae in cadaveribus occurrunt, explicari poterunt? Intime persuasus sum, ea nonnisi inflammationi passivae, vel adynamicae illi analogae, quae in ophthalmia hujus regionis occurrit (**), adscribi debere.

In genere, ubi quaestio de inflammatione est, homines nonnisi de inflammationis specie, quam activam vocant, cogitant. Attamen omnes experti medici norunt, dari inter alia etiam inflammationes, quas nomine phlogosium occultarum, lentarum, aut chronicarum designant. Non nego equidem hoc genus phlogosium quandoque ad classem earum pertinere, quas activas nominant? sed existimo prudentiae esse, semet huic opinioni, temere haud tradere debere. Prostant innumera facta, quae probant, periculosum fore, si hac de re, regula generalis, et absoluta statueretur. Quilibet medicus, debita cognitione instructus, in eo mecum consentiet, occurrere etiam aliam speciem inflammationis, quam passivam appello, et quae saepe cum inflammatione activa confundebatur. Quis

(*) Vide ea, quae hac de re in meis: Opuscules de médécine practique. Paris, 1812. dixi.

(**) Vide: Opuscules l. c.

medicorum practicorum essentialem illam differentiam ignorat; quae locum habet inter erysipelas capitis, et inflammationem, anginam gangraenosam antecedentem; — inter eam, quae in peripneumoniis malignis occurrit; inter inflammationem bubonum, et carbunculorum pestilentialium; ac denique inter eam, quae apud arthriticos se manifestat? Quem medicorum, vel mediocris cognitionis, latet? quod dum inflammationes activas venae sectione et aliis remediis antiphlogisticis, cum utilitate oppugnamus, i i s d e m remediis in inflammatione, quam passivam nominant, evidenter nocemus? Harum igitur inflammationum differentia, tam ex forma externa, quam ex curatione ipsa satis elucet: hinc remedia, quae in inflammationibus passivis adhibentur, sunt e diametro iis opposita, quae vulgo antiphlogistica appellantur. Quid igitur judicandum de opinione nonnullorum medicorum Italorum, et nominatim Professoris Tomasini (*), qui affirmant, in genere unam tantum, eandemque existere inflammationem, paradoxon esse, si inflammationem asthenicam admittere velis, esseque idem, ac si diceres, dari inflammationem absque inflammatione. Examen hujus mirae assertionis me justo longius abduceret; libenter tamen hocce medicos interrogarem, an haemorrhagias a c t i v a s et p a s s i v a s, apoplexiam sanguineam et nervosam admittant? et si id concedunt, quare idem de inflammationibus etiam non valeret? non dissimulabo tamen magnas difficultates, in determinandis limitis inflammationis activae, et in distinguenda inflammatione chronica activa, a passiva, subversari. Occurrere prae-

(*) Della nuova dottrina medica italiana. Bologna, 1817.

terea possunt gradus inflammationis intermedii, de quibus perdifficile sit aliquid certi statuere. At in his rite dignoscendis medicus peritus, semper ab eo se distinguet, qui cognitionem superficialem rerum habet. Opinio, quam Tomasini in medium protulit, sufficienter est refutata a Doctoribus Spallanzani (*) et Amoretti (**), adeo, ut necesse non sit, diutius mirae huic opinioni immorari.

Jam in antecedentibus, ut factum indubitatum in medium attuli, morbos inflammatorios in Aegypto rarissimos esse (***). Evidenter etiam probavi, ophthalmiam Aegytiacam pertinere ad classem phlogosium passivarum. Praemissis his variis animadversionibus, credo me jure declarare posse, omnia vestigia inflammationis, gangraenae et exulcerationis, tam in dysenteria Aegyptiaca, quam Europaea observata, erronee pro inflammationibus activis fuisse habita; et hunc fortassis errorem in caussa fuisse, quod in methodo curationis feliciores progressus non fuerint facti.

Non est tamen existimandum, indiscriminatim in omnibus dysenteriis, hunc statum phlogoseos passivae, statim sub initium morbi locum habere. Interdum relaxatio intestinorum duntaxat a caussis debilitantibus, jam indicatis dependet; alias solummodo extrema sensibilitas adest. Ubi morbus in prima invasione cum violentia incipit, supponi potest, hanc singularem inflammationis passivae spe-

---

(*) Sulla nuova dottrina medica italiana etc. Sviluppata dal Sig. Prof. Giac. Tomasini. Lettre medico-critiche Reggio, 1818. 1. Lett.

(**) Nuova Teoria delle febri e della loro cura. Torino, 1818. Vol. 2.

(***) Vide opusc. de médécine practique. Paris, 1812.

ciem, in canali intestinali, et praesertim in intestino recto, locum habere.

Verosimile quoque mihi videtur, statum irritationis convulsivae, vel oscillatoriae intestinorum crassiorum, et inprimis intestini recti, ut caussam proximam dysenteriae saepe considerari posse. Existimo complures medicos, nimis facile admisisse in dysenteria characterem vere inflammatorium, in intestinis visibilem, et opinionis hujus caussam, in nimia veneratione, qua erga opiniones praeceptorum suorum ducebantur, positam esse; et in pauca attentione, quam cognoscendis genuinis caussis hujus morbi impendebant. Alii crediderunt, morbum hunc esse naturae biliosae, vel saburralis; sed lingua spurca, vomitus et evacuationes alvi biliosae, non sufficiunt ad decidendam hanc quaestionem. Medicus expertus, et qui signa gastrica fallacia esse novit, sibi facile a similibus erroribus cavebit. Vide de hoc magni momenti argumento, tractatum avunculi mei Joh. Petri Frank. (*) Jam Jacobus Bontius hanc gravem animadversionem fecit, nullum viscus frequentius in climatibus calidis affici, quam hepar (**). Et si hanc veritatem medici penitus perspexissent, morbum hunc longe aliter considerassent, ac pertractassent. Medicus Wedekind credit, dysenteriam fere semper originem suam debere principio irritanti in massa humorum, quod intestinum rectum invadit, in eoque erysipelas majoris minorisve momenti excitat (***). Quamvis aetate

(*) De larvis morborum biliosis. Goettingae, In delectu Opusculorum.

(**) Historia naturalis et medicinae Indiae orientalis. Amstaelodami, 1658.

(***) Wedekind l. c. p. 76.

nostra in genere opinio de humoribus ad pauca omnino momenta reducta sit, et quamvis eam medici, solum magna cum restrictione, et in paucis casibus admittere audeant (*): nihilominus mihi videtur, hanc opinionem non esse penitus rejiciendam, nam omnes meae observationes me ad credendum permovent, — in hoc morbo infinite multas consociationes locum habere, quas omnes ab invicem distinguere, res magni momenti est.

De prognosi in dysenteria Aegyptiaca.

In genere prognosis in dysenteria Aegyptiacâ, persimilis illi est, quae in dysenteria vulgari, in Europa locum habet; oportet eam considerare, ut morbum periculosum, difficulter curabilem, et quandoque lethalem. Complures medici ejus sunt opinionis, morbum hunc exercitui Gallico magis funestum fuisse, quam ipsam pestem. Horum e numero sunt Baro Desgenettes (**) et Dom. Savaresi (***). Cui sententiae ego quoque adsentior. Ceterum decerni prius deberet, an caussa hujus mortalitatis a solo hoc morbo dependeat, vel, an ea ex parte, methodo curandi, quae adhibebatur, tribui debeat? Cum in hac, tum in aliis similibus discussionibus, sincere fateri debeo, jam ipsum morbum per se, majori minorive periculo esse stipatum, praesertim apud ea individua, in quae complures, a me superius enumeratae caussae vehementius egerunt. His accedunt, consueta intemperantia militum, et incom-

(*) Dictionnaire des Sciences medicales. Volum. 23, article Humorisme.

(**) Dictionnaire des Sciences med. Vol. 10. art. Dysenterie.

(***) Opus sur la fièvre jaune, p. 30.

moda, quae cum nosocomiis provisoriis subinde male administratis, conjuncta sunt; et haec est secunda, magni momenti caussa, hujus mortalitatis.

Recens dysenteria, interdum facile curatur, sed ubi chronica evasit, periculosior est, pro ratione temporis, quo durat. Homines intemperantes ex hoc morbo difficulter curantur. Igitur maxime essentiale ad curationem est, ut aegrotus diaetam, a medico praescriptam, exactissime observet. Quo diutius dysenteria chronica continuat, eo minor spes est, eam curandi. Hinc attendendum, an non aliqua affectio hepatis adsit? Saepe enim occulta phlogosis in hoc viscere latet, quam detegere magni momenti est; nam si in eo suppuratio exoriatur, adhuc difficilius est, ex hoc morbo evadere.

Methodus curationis in dysenteria Aegyptiaca.

Ex iis, quae de caussis et natura dysenteriae Aegyptiacae dixi, facile perspicitur, ideam rectam quam nobis de ea formare debemus, nihil communis habere cum diversis speciebus dysenteriae, a celeberr. Zimmermann, Tissoto, Degner, Pringel, Monro, aliisque viris descriptis, qui occasionem habuerunt, hunc morbum in Europa observandi.

Quod ad curationem attinet, prima et urgentissima indicatio est, ut quam primum fieri potest, omne id amoveatur, quod irritationem in canali intestinali augere, vel alere posset, et omnia remedia ad eam sopiendam quaerantur. Hoc fine debet aegrotus ad diaetam severam, de qua serius loquar, restringi, quietus manere, et in primis se bene vestire, ubi latrinam petit. Si morbus cum violentia non caepit, potest aegroto levis decoctio Tamarin-

dorum, moderate tamen, per aliquot dies propinari; sed quamprimum semet dysenteria cum vehementia manifestat, confugiendum subsequenter ad remedia mucilaginosa, et praesertim ad solutionem mucilaginis gummi arabici. Pro potu ordinario nihil magis convenit, quam aqua oryzae, quae tamen quotidie recens parari debet, cum facile corrumpatur; si colica vehemens urget, cum emolumento praeberi potest infusum florum Chamomillae, vel seminum Anisi; ego quandoque etiam potiones oleosas, vel decoctionem albam Sydenhamii, cum utilitate praescripsi. Etiam fomenta calida, abdomini imponenda, et clysmata dolores sopientia, utilia et necessaria sunt. Si e contrario, his adhibitis, symptomata morbi non solum non sopiantur, sed potius augeantur, confugiendum ad remedia magis activa, de quibus illico loquar.

Opinio indigenarum, (quam etiam experientia confirmat), est, ut quamprimum quispiam dysenteria corripitur, ab omni carne, jusculo carnium, ovis, oleribus, fructibus etc. abstineat. Praeceptum hoc, quod incolae Aegypti pro magni momenti habent, non poterat in nosocomiis Gallicis observari: quare tunc medici in curatione hujus morbi magnas omnino difficultates habebant. Opinio regimen concernens, quod in dysenteria observare oporteret, non solum a pluribus medicis, qui circa hunc morbum magnam experientiam in Aegypto habebant, sed etiam a plurimis Europaeis, qui in hac regione a longo inde tempore habitabant, confirmata fuit. Non solum Aegyptii, sed etiam medici cum pertinacia affirmant, quod si curationem dysenteriae obtinere velis, oportere, parum nutrimenti ad semel sumere, et conveniens esse, ut aegrotus ad pauca

nutrimenta, eaque selecta, restringatur. Praeceptum hoc fortassis nonnulli justo magis extenderunt; credo quoque objici posse, huic rei multum momenti tribui. Sed cum carnes in genere nimis sint nutrientes et opimae, et cum notum sit, in calidis regionibus minus carnium comedi debere, quam alibi; cumque lac et ova celerem mutationem patiantur, et hinc digestionem facillime turbare possint: existimo, strictam observationem praeceptorum, hanc rem concernentium, plus utilitatis, quam noxae allaturam. Etiam experientia me docuit, legem hanc diaeteticae potissimum maxime utilem esse. Hinc quantum pro ratione circumstantiarum fieri potest, aegroto dysenteria laboranti, nihil, nisi mucilago oryzae, absque ulla additione, praeter pauculum salem, aliquot bolos panis, vel panis bis coctus, interdum pulpa lentium, vel fabarum germinantium, et paucula Caffea dari debet. Regula hujus nutritionis cum tam paucis cibis, videbatur plurimis militibus nimis molesta, et tantum homines rationabiles, strictam observationem hujus diaetae, morbo congruam esse perspicient. Postquam periodus nimiae irritationis disparuit, potest aegroto absque ullo metu, pauculum vini boni concedi, quemadmotum etiam aliquot vascula decoctionis Salep, cum pauco cinamomo, vel nuce moschata conditae, qua frequenter in Aegypto utuntur, exhiberi poterunt. Sed in genere observavi, non satis posse leges diaeteticae praecedentes, dysenteria affectis inculcari. — Oportet etiam, ut aegroti ex decocto tantum parum pro una vice sumant; vidi enim interdum, aegrotos exinde nimis colica excruciatos fuisse, quod justo plus uno haustu biberint.

Una, eaque maximi momenti quaestio adhuc

solvenda restat: an nimirum conveniens sit, in dysenteria Aegyptiaca, remedia vomitoria, et alvum moventia, aegrotis propinare? Prius horum remediorum magnam famam ibidem habet. Sub initium meae praxis adhibui, ut remedium vomitorium, radicem Ipecacuanhae mox solam, mox cum tartrate lixiviae stibiato mixtam, et quandoque posterius hoc remedium solum. Ast gloriari non possum, de felici effectu horum remediorum. Postquam perfectiorem cognitionem hujus morbi obtinuissem, et plene persuasus fuissem, eum nec naturae biliosae, nec saburralis esse: perspexi remedia hujus generis, non solum non posse esse utilia, sed saepe etiam malum ipsum augere. Hinc nunquam eo temeritatis deveni, ut remedium, quod perfecte purgans nominant, propinarem, sed ex iis, quae vidi, mihi persuasi, eorum effectum fore perniciosum. Non ignoro, fuisse in exercitu Gallico complures medicos, qui credebant, morbum hunc non posse curari, quin plura remedia vomitoria et purgantia exhiberentur; sed si ii ea novissent, quae complures alii medici de eorum usu in dysentaria generatim dixerunt, convicti omnino fuissent, ea a plurimis, ut remedia noxia, fuisse damnata. Id quod celebr. Stoll de effectu vomitoriorum in dysenteria dicit (*), est exceptio a regula; et quod hanc meam assertionem in primis confirmat, sunt ipsa Stollii verba (**), ubi dicit: »c a u t u s s i s i n e m e t i c i s e t p u r g a n t i b u s p r o p i n a n d i s, i t e r a n d i s, n e s i g n a s a b u r r a e f a l l a c i a, h a b e a s p r o v e r i s;«

(*) Rat. medendi. pars 3. p. 257.

(**) Aphorismi de cognoscend. et curand. febrib. Aphor. 841. 842.

vide etiam de hoc argumento, animadversiones notatu diginas Domini J. P. Frank. (*)

Credebant purgantia antiphlogistica inprimis inservire, sic dictis primis viis a bile et saburris gastricis liberandis. Ego summa cum attentione effectus horum remediorum examinavi et perspexi, experientiam iis non favere. Hinc moneo, ne medicus practicus semet seduci patiatur a statu linguae, utpote signo incerto et maxime fallaci, quam apud numerosos aegrotos, etiam ut in statu naturali vidi.

Credo me jure defendere posse, usum purgantium in plena dosi, esse insanum et periculosum; et si aliqui aegroti fortassis remedia haec pertulerunt, inde factum est, quod ea in dosibus epicraticis exhibita fuerint.

Unicum remedium, quod initio hujus morbi adhibeo, si nimia irritatio adest, est levis decoctio tamarindorum, vel exigua dosis cremoris tartari. At haec remedia non eo scopo praescribo, ut alvi secretionem augeam, sed solummodo ideo, ut sitim aegrorum mitigem et sopiam. Ut eos a nimia potione retraham, suadeo iis saepe, os aqua recenti eluere; hoc remedium tam simplex, quam innoxium, fere semper eos eximie sublevare solet. Potest praeterea his aegrotis etiam concedi suctio pomorum granatorum, quibus in Aegypto abundant, quae excellentia sunt, et dysenteria affectis omnino perutilia fuerunt. Oportet tamen ex iis maxime dulcia, et matura eligere. Etiam aliquot frustilla pomorum aurantiorum, multum sitim restinguere poterunt.

Aegri tales quandoque, diu noctuque multum a torminibus et colica excruciantur; in tali casu cum

(*) De larvis morbor. bilios. l. c.

utilitate adhibui unguentum volatile camphoratum, quod ventri illiniebatur, fomentationes calidas ex infusione Chamomillae, et clysmata sopientia. Clysmata in decursu hujus morbi adeo utilia, diligenter, moderate tamen administrari debent; quatuor vel quique unciae liquidi pro uno clysmate sufficiunt; si plus injiciatur, facile intestinum rectum irritatur, quod apud dysenteria adfectos, fere semper in summo gradu irritationis est. Remedia mucilaginosa, ut decoctio seminum lini, radicis althaeae, florum chamomillae, cum exigua portione olei, interdum meos aegrotos sublevarunt; in singularibus casibus, cum utilitate eis adjeci Laudan. liquid. Sydenh. 30-50 guttas. — Etiam injectiones lactis, olei, et therebinthinae cum vitello ovorum, multum aegros sublevarunt; sed fatendum tamen, nullum dari remedium, quod constanter, in doloribus hujus terribilis morbi, utile esset.

Frequenter cum emolumento exhibui decoctionem albam Sydenhamii, cui interdum 30-40 guttas Laudani adjeci. Quamvis decoctio L e d i p a l l u s t r i s nonnisi in Suecia hucdum in dysenteria adhibita fuerit, et quamvis supponi possit, morbum hunc in Suecia, multum a dysenteria Aegyptiaca differre, optarem tamen, ut cum hoc remedio tentamina etiam in hac specie dysenteriae fierent, tanto magis, cum secundum testimonium medicorum Odehlii, et Biverenland (*) necessarium non sit, ei ullum vomitorium, vel purgans praemittere. Aegroti solummodo duo vascula hujus decoctionis, sexies vel septies per diem ebibere debent.

Cum anno 1813 Corcyrae (Corfu) fuissem, nove-

(*) Schwedische Abhandlungen, 43. Band.

ram quendam medicum senem, qui mihi affirmavit, se communiter dysenteriam ejus regionis, quae similitudinem quandam cum Aegyptiaca habet, sanare ope cujusdam speciei concharum ostrearum, in calcem redactarum, quae in insula hac, vulgo Gaidura podia appellantur, quia ungulae asini simillimae sunt. Propinat is hujus calcis sex grana, ter per diem, et affirmat, se exinde semper celerem et admirandum effectum obtinuisse. Fere chimeris hanc ejus assertionem adnumerassem; at considerando ejus probitatem et veritatis studium, recordans in annalibus medicis prostare observationes de efficacia similium rerum, ut ossium ustorum, vel phosphatis calcis: existimavi, prudentiae esse, nova tentamina cum hoc remedio facere, antequam id, ut inefficax et inutile rejicerem. Existimo tamen, loco harum concharum, posse etiam conchas ostrearum, in calcem ustas, adhiberi. Doleo, me ipsum observationes hujus medici, mea propria experientia confirmare non potuisse. Quamvis mihi credulitas seculi decimi septimi omnino nota sit, credo tamen dari quaedam facta, quae non oporteat, ut chimeras rejicere, et existimo, me observationes Samuelis Ledelii (*) hic ad literam referre posse: »anno 1679 »dysenteria epidemica grassabatur in nostra civitate »Grünberga, mensibus Junio, Julio, Augusto, erat»que praeprimis infesta teneri aetati, certisque pla»teis, nec extra civitatem se diffundebat, siquidem »omnes pagi in vicinia Schine ne unicam quidem »alebant dysenteriam. Remedia a practicis recom»mendata adhibeantur plurima, sed absque euphoria. »Discurrebat de remediis expertissimis mecum capi-

(*) Miscellan. curiosa, sive ephemerid. medic. ac nat. curiosor. Decur. II. anni II. p. 68.

»taneus Moscoviensis, qui per plures annos, in »magni hujus imperatoris exercitu militaverat. Hic »referebat, quod hicce morbus aliquando tertiam »exercitus Moscovitici partem exhausisset; tandem »loco specifici fuisse adhibitum pulverem ossium »hominis violenta morte enecati, et quotquot hunc »gustarint pulverem, evasisse omnes. Feci pericu-»lum, et quia ante portam in rota erat corpus, »quod aliquot annos sub diu jacuerat, ideo procu-»rabam ossa brachii, jubebam, ut pulverisarentur, »dabam nudum hunc pulverem, etiam aliis mistum, »et fateor omnes, qui usurparunt hunc pulverem, »fuisse sanatos; occultavi autem summe, nequis re-»sciret, unde medicamentum venisset, alias nausea »absterruisset omnes ab ejus usu.« Johan. Schröderus (*) quoque refert, ossa humana in dysenteria nimis efficacia esse. Bufones, pedes perdicum calcinati, immo ipsum album graecum, ab antiquis medicis in dysenteria adhibebantur. Ex his saltim id concludo, multum interesse, ut phosphas calcis denuo in dysenteria, et praesertim in ea, quae difficilis curationis est, tentetur, quamvis ejus actionem nec noscamus, nec explicare possimus.

Hucusque de prima periodo dysenteriae, nempe de periodo irritationis locutus sum; ea persaepe diversis, a me jam indicatis remediis cedit, si ea debita cum prudentia adhibeantur, et inprimis, si obedientia aegroti, et cura continua eorum, qui ei adstant, medicum adjuvent. Sed hae conditiones, et commoda non inveniebantur apud milites Gallicos, nec in nosocomiis talibus, qualia in Aegypto erant.

(*) Pharmacop. lib. V. Class. 1. Caput 23.

Quemcunque zelum habeant praefecti sanitatis, observator tamen semper cum dolore animadvertet confusiones innumeras, tempore belli in exercitu occurrentes, praesertim si is a hoste potenti et infatigabili obsideatur.

Si ope remediorum sanatio dysenteriae post 10 — 12 dies non obtinetur, dici potest, dysenteriam jam in secunda periodo esse, nempe in periodo relaxationis et debilitatis, tunc tenesmus evidenter imminuitur; dejectiones alvinae minus frequentes et copiosiores sunt; tormina et colici dolores mitescunt; et quandoque aegroti interdiu bene se habent, sed tanto plus noctu patiuntur; pulsus est tranquillus, et appetitus ciborum sat bonus.

Experientia me docuit, remedia in hoc casu indicata, esse ex classe roborantium, sopientium et mucilaginosorum. Inter media roborantia, praefero aliis decoctionem corticis Simarubae, qui mihi in innumeris casibus perutilis fuit, pro singula libra aquae, uncia dimidia hujus corticis sumi debet. Aegroti mei communiter decoctionis hujus duas libras intra viginti quatuor horas absumebant; oportet autem hoc remedium ad minimum per quinque, sexve dies adhibere, si de ejus utilitate certus esse velis. Quandoque adhibui etiam hunc corticem in pulverem redactum in dosi 3 — 4 drachmarum, intra viginti quatuor horas, et quidem insigni cum utilitate.

Si aegroti adhuc frequenter doloribus colicis excrucienter, potest iis eodem tempore propinari potio mucilaginosa, cui 30 — 40 guttae Laudani liquidi adjici poterunt, quae debitis intervallis, et per cochlearia sumenda est. Methodum hanc praefero illi, complurium meorum collegarum, qui aegrotos suos circa vesperas tantum semel, partem potionis

sopientis, quae nonnisi 20 guttas Laudani continebat, sumere jubebant.

Inter remedia roborantia, refero etiam rheum. Hoc remedium in dosi 5 — 10 granorum, bis, vel ter intra diem propinatum, interdum eximium effectum habuit; huic remedio admiscui etiam cum emolumento, carbonatem magnesiae, in dosi 10 - 15 granorum.

Alio tempore cogebar Simarubam et rheum seponere, atque loco eorum cum utilitate praescripsi radicem Ipecacuanhae, in dosi duorum granorum quae singulis duabus horis exhibebatur. Sed quantumque hoc remedium laudetur, non tamen semper ejus bonum effectum vidi. Ipecacuanha in enormi dosi unius drachmae, cum 60 guttis Laudani, summis laudibus elata fuit, ut remedium in dysenteria extraordinarium. Vide Salzb. medic. chirurg. Zeit. 1818. 2. B. p. 249.

Borda Professor Ticinensis loquitur de radice gratiolae, ut remedio antidysenteriaco, cujus efficacia Ipecacuanham multum superaret; sed ingnorare videtur, remedium hoc, jam sub initium seculi elapsi fuisse, ut tale, praeconisatum; at experimenta docuisse, prudentiae esse, ut a remedio adeo periculoso, abstineamus.

Tertia periodus hujus morbi est, ubi dysenteria a 25 — 30 diem se extendit. In genere observatur tunc, symptomata minus urgere; lingua fit purior, appetitus cibi mediocris adest, tormina imminuuntur, alvi dijectiones minus frequentes sunt, sed semper tamen liquidae, mucosae, et plus minusve sanguine mixtae. Quandoque videtur dysenteria jam finem adeptura; at vel minima caussa, vel minimus error in diaeta commissus, revocat eadem sympto-

mata, et interdum majori cum vehementia. Et certe plene persuasus sum; nos non satis strictos esse posse in observando, regimine jam indicato. Morbus hic, qui jam in prima periodo difficulter sanatur, multo difficilius tollitur, si jam chronicus factus sit, offertque medico practico variationes infinitas, qui etsi maxime attentus sit, nunquam tamen praevidere, vel decernere potest, quod remedium prae aliis adhibendum sit; — nam remedium, quod in uno casu saluberrimum effectum habet, in alio persimili casu, nullam utilitatem adfert; immo in tertio etiam nocet.

Quod ad remedia curationis in dysenteria chronica attinet; ego saepe initio Simarubam, Ipecacuanham, Rheum, et inprimis Rheum tostum, decoctum chinae etc. adhibui.

Postquam mihi intra breve tempus linguam arabicam familiarem reddidissem, existimavi, me nequaquam experientiam indigenarum in hoc morbo contemnere debere. Myrabolani magnam apud eos celebritatem habent; ego remedium hoc quandoque in dosi 10 — 15 granorum, pluries per diem propinavi, quandoque ei etiam parvas doses Rhei adjeci; remedium hoc, quod nostris temporibus, fere tantum in Aegypto adhibetur, interdum salutarem effectum habuit. Alias felici cum successu praescripsi 20 — 30 grana aluminis, in quinque unciis aquae soluta, quae per cochlearia propinabatur. — Aliud remedium peraeque magnae famae in Aegypto contra fluxum dysentericum est, fructus Boabab. Quamvis jam in alio opere, ea, quae eum attingunt, exposuerim (*); debeo tamen res quasdam maxime essen-

(*) Collection d'opuscules de médécine practique. Paris, 1812.

tiales et hic adferre. Boabab est fructus arboris giganteae, botanicis sub nomine Adansoniae notae. Pars farinosa et rubella hujus fructus, est efficacissima; aegrotus tantum partem rubellam, quae grana circumdat, sumere debet, et dosin ejus a 20 — 24 grana augere potest. Si morbus post aliquot dies non cedat, contunditur etiam cortex fructus, fit inde pasta, daturque ea aegroto saepius per diem, in magnitudine castaneae. Possunt etiam semina fructus torrefieri, contundi, — et edi. — Hocce remedium tam in prima periodo morbi, quam ubi is jam chronicus factus est, adhiberi potest; et effectus ejus non erit dubius.

Semina Sumach (Rhus coriaria, Lin.) sunt aliud remedium, quod incolae Aegypti cum emolumento in dysenteria chronica adhibent. Semina siccata contunduntur, adjiciturque dein iis semen coriandri; — quotiescunque aegrotus oryzam sicciuscule coctam comedere vult, oportet huic cibo certam quantitatem hujus mistionis addere. Ego remedium hoc saepe adhibui, et existimo id attentionem medicorum practicorum mereri. Alio tempore obtinui felicem successum ex usu Cachou (Caoutchouc) quod in dosi granorum decem, pluries intra 24 horas propinavi. Communiter praescripsi id in pulvere, mixto cum saccaro, vel gummi arabico, sed etiam id in solutione, cochleatim sumendum ordinavi. Suasi quoque pluribus aegrotis, qui jam complura remedia absque utilitate sumserant, ut certam quantitatem nucleorum palmarum, instar caffeae torrerent, dein in pulverem redigerent, decoquerent, et ex decoctione pluries per diem biberent. Remedium hoc vulgare quidem, saepe tamen optimum effectum habet. Sed non satis repetere possum efficaciam cujuslibet reme-

dii, in hoc morbo semper esse incertam. Gloriari hic quoque possum, me ex pulvere Doveri, praesertim, si eum cum calida infusione radicis Valerianae exhibui, emolumentum habuisse. At nullum remedium mihi occurrit, cujus efficacia magis certa mihi visa est, quam nucis vomicae. Communiter praescripsi eam in dosi quatuor granorum cum quopiam succo mixtam, ter quaterve per diem sumendam; in multis circumstantiis dosin ejus ad viginti usque grana auxi. Cum pharmacopolae sciant, eam difficulter in pulverem redigi, solent eam torrere; at persuasus sum per id multum efficaciam ejus imminui; et me adhuc majorem utilitatem exinde obtenturum fuisse, si ii genuinam methodum novissent, eam in pulverem convertendi. Consistit autem haec, ut tardius intellexi, in sequentibus: nux vomica, limatur, limatura haec cum portione gummi tragaganthae, et paucula aqua miscetur, totum sic in massam redactum exsiccatur, et dein contunditur Primus observationes de hoc remedio publicavit. Dom. Hagstroem (*) et Odhelius (**).

Optassem praeterea adhibere radicem Colombae, quae tantam celebritatem in regionibus calidis habet; sed nos hac radice, immo et occasione eam nobis procurandi, caruimus. Numerosae observationes avunculum meum docuerunt, radicem Colombae, in pulvere exhibitam, esse unum e remediis efficacissimis in fluxu alvi chronico. Decoctio radicis non eandem efficaciam habet; haec certior est, si ei dosis Laudani liquidi, vel pulvis Doveri adjiciatur.

(*) Abhandlungen der königl. Schwedischen Akademie der Wissenschaften. Tom. 34.

Egometipse in praxi mea, pluries occasionem habui, me de hac veritate convincendi.

Persaepe aegroti dysenteria chronica laborantes, a colicis vehementer excruciantur, cujus vera caussa ignoratur; at exacte observavi, neglectum debiti regiminis multum ad dolores renovandos conferre. Communiter medelam attuli, exhibendo liquorem Hoffmanni, et Laudanum: sed saepe usus theriacae cui interdum aliquot grana opii adjeci, melius dolores sopiebat. Magnae etiam utilitatis sunt clysmata anodyna, lintea calida, vel fomentationes ex infusione herbarum aromaticarum, abdomini ipmositae; praeter fomentationes adhibui etiam in pluribus casibus cum utilitate, unguentum volatile camphoratum.

Vesicantia vel sinapismi, ventri imposita, nunquam re ipsa ad sanationem dysenteriae sive acutae, sive chronicae utiles fuere. Praeterea hic morbus ita dolorosus est, ut superfluum videatur, aegrotum his adhuc remediis excruciare.

Quamvis methodum meam curationis, quae naturae morbi, et experientiae plurium annorum superstructa est, nonnulli medici exercitus Gallici vituperaverint, quippe qui nihil, nisi remedia alvum moventia, serum lactis, potiones diluentes, et clysmata adhibuerunt, et ea, ut remedia maxime congrua, proclamare ausi sunt: ii tamen viri, qui praxim medicam in climatibus calidis exercuerunt, et qui post me in Aegyptum proficiscentur, si diversitatem hanc opinionum examinare voluerint, facile decernent, quae harum opinionum rationi contraria sit.

Non sum locutus de balneis calidis, adeo utilibus in dysenteria acuta et chronica, nam circumstantiae eorum usum mihi non admiserunt. Oportet autem artem

medicam penes exercitus exercuisse, si innumera impedimenta cognoscere velis, quae omni momento, benevolo scopo medentium, se opponunt. Summa cum voluptate animadverti, easdem observationes, eruditos auctores capitis de dysenteria, in: Dictionnaire des Sciences médicales Vol. X in medium attulisse.

Remedia, quae commendarunt ad sedandam irritationem, vel inflammationem, in intestino recto, innumera sunt; at applicatio hirudinum, quae secundum analogiam eorum utilitatis in aliis affectionibus, et hic insigne levamen fortassis adferre posset, omnino fuit neglecta.

Medicus Dewar (*), qui tractatum scripsis de diarrhoea, et dysenteria, quae in exercitu Anglorum, tempore expeditionis, in Aegypto grassabatur, suadet subligaculum ex panno laneo (flanella nuncupato), quo abdomen contegendum esset, ut remedium maxime efficax contra dysenteriam; secundum ejus opinionem, calor non secundarium, sed primarium medium est curationis. Imponit is ventri pannum talem, quater complicatum, eumque corpori ope ligamenti, ex simili panno parati, adstringit; affirmatque brevi post imminui tormina et tenesmum, et alvi dejectiones rariores fieri (**).

Observationes de dysenteria chronica regionum calidarum, a Dr. Jackson factae, aeque merentur, ut hic eorum mensionem faciam. Affirmat is, quod ex investigationibus intestinorum, in hominibus, ex dysenteria chronica mortuis, institutis pateat, parum in ea a remediis, quae in totum systema agunt,

(*) Observations on diarrhee and dysenterie. London, 1803.
(**) Dictionnaire des Sciences médicales. T. X. p. 390.

sperandum esse; atque existimat, morbum hunc solummodo localem esse, et hinc nonnisi a remediis localibus emolumenta in eo exspectari posse. Idem medicus observavit, initio dysenteriae, quae apud milites Anglicos, in St. Domingo occurrebat, venae sectionem utilem fuisse; ceterum tentamina, quae cum hoc remedio feci, ut jam monui, mihi non successerunt: ast fortassis existit omnino quaedam diversitas inter constitutionem militis Gallici et Anglici. Post venae sectionem praescribit Jackson, forte remedium purgans, quandoque etiam vomitorium; ad alvi dejectionem promovendam exhibet is Rheum, vel Jalappam, quibus Calomel adjicit. Postquam sufficienter primae viae liberatae sunt, praescribit is alumen, vel sulfatem Zinci, vel alia remedia roborantia, quorum actionem pulvere Doveri adjuvat, asseritque, ope horum remediorum morbum communiter brevi fugari. (***)

Congestio et suppuratio tantum in una parte locum habet. Doctor Borland, medicus exercitus Anglici in St. Domingo, persequebatur hanc ideam summo cum zelo, et in difficillimis casibus, a remediis localibus prosperrimum successum obtinuit; remedia, quae adhibuit, erant, solutio sachari saturni, sulfatis zinci, aluminis et quandoque mercurii sublimati corrosivi, cum quibus pro ratione circumstantiarum, tincturam myrrhae, chinam, decoctum chamomillae vel cicutae conjunxit. Ratio maxime congrua, clysmata hujus generis adhibendi sequens est.

Injicitur quater vel quinquies per diem, infusio

(*) Geschichte und Heilung des epidemischen und ansteckenden Fiebers. 1804. p. 336.

ex 10 vel 15 granis sachari Saturni, cum, vel sine opio, in quinque unciis aquae solutis; sed prius intestina ope clysmatis simplicis eluuntur. Fundamenti loco ponit, sedem mali esse in intestino colo, vel recto. Sequens animadversio mihi magni momenti esse videbatur; vult nempe is; ut, ubi remedia adstringentia, vel corroborantia adhibentur, eodem tempore pulvis Doveri, vel pulvis Jam's exhibeatur, ad sustendandam videlicet debitam cutis transpirationem; multum etiam laudat fomentationes calidas, et suadet, ut aegrotus post singulam alvi evacuationem semet lavet, at non dicit, utrum totum corpus, venter, vel tantum perinaeum sit lavandum. Magnam etiam utilitatem ei attulerunt balnea frigida et calida, alternatim adhibita.

Sequens observatio medici, qui in India orientali commorabatur, artis peritis non erit indifferens, et quadamtenus cum opinione et praxi Jacksonii convenit: »Lavatio frigida ab Indis in omni fere com»mendatur morbo, in dysenteria praesertim et fe»bribus extra paroxysmum, aegris quam maxime pro»dest. Cum anno 1677 mensibus Novembri et De»cembri periculosissima laborarem dysenteria, et »optimis quamquam medicamentis usurpatis, quo»tidie morti magis appropinguarem, ad lavationem »in aqua frigida me (viribus adeo jam fractis, ut a »servis portatus ex superiori camera, in inferiorem »domus locum, lavationi magis aptum fuerim) con»tuli. A prima melius habui, ac caeterae, benedi»cente Deo, prorsus sanum me effecerunt. Anno »1678 mense Majo, miserabili, (cum vulgo loquor), »effervescenti febri angebar. Dolor capitis, vigiliae, »vomitus, alvi ventrisque dolor me fregerunt peni»tus, atque per eandem lavationem, cum debito

» medicamentorum usu, tandem valetudinem ac-
» quisivi. «

In eodem opere (*) narratur, quendam militem, postquam se frigidae aquae per mediam horam immersisset, a terribili dysenteria fuisse liberatum. De diversis hisce exemplis sanationis saltim ideo loquor, ut nota reddam diversa remedia, quae in hoc rebelli morbo adhibita fuere; fieri enim potest, remedium hoc aliquam utilitatem adferre ob fortem impressionem, quam in amplam cutis superficiem, et in totum systema organismi facit.

Celebris Jacob. Bontius observat, dysenteriam climatum calidorum nimis difficulter curari, et mentionem facit circumstantiae, quae summam attentionem medicorum meretur; dicit nempe (in Capite de dysenteria): » Si vero propter saevitiam symptoma-
» tum, dolores praesertim acerbissimi, temporis an-
» gustia, tam longam in cura moram non patiuntur,
» statim ad extractum croci deveniendum est, quo
» remedio (ausim dicere) nullum humana cura exqui-
» sitius excogitari potuit, putaque verissimum hujus
» morbi, saepe etiam venenati antidotum esse.

Dolendum Bontium non indicasse dosin hujus remedii, et nullum medicorum, qui ad exercitum in Aegypto erant, hoc remedium novisse. Credo successum inopinatum, quem Bontius ab extracto croci habuit, tribui debere ejusdem virtuti narcoticae; fortassis idem emolumentum ab Aethiope vegetabili obtineri posset, qui nihil aliud est, quam opium in aceto solutum, dein igni expositum, usque dum perfecte exsiccetur. Haec praeparatio, in Italia valde

(*) Ephermerid. nat. curiosior. Decas. I. ann. X. p. 460.
Loc. cit. D. III. ann. III. p. 31.

usitata, et qua ipse in hac regione saepe usum sum, non solum in diarrhoea, sed in aliis quoque morbis, jure magnam laudem obtinuit. Parum de hoc morbo dixissem, si non immorarer mediis praecautionis ad evitandum, quantum fieri potest, relapsum in eum. Prima omnium cautelarum consistit in summa severitate quoad diaetam: secunda in vestitu calido: tertia in eo, ne se noctu aegrotus frigori exponat; quarta, ut corpus, quantum fieri potest, exerceat, quin tamen per id fatigetur. Unum e primariis remediis, se a dysenteria in hoc climate intactum servandi, est, si omnes causae debilitantes, et suppressio transpirationis cutis evitentur. Hunc in finem etiam moderatum usum vini Cyprii, et usum Chinae commendo, cujus drachma una per diem saepius sumi potest. Antequam id, quod ad tractationem dysenteriae attinet, plenarie finiam, utile fore credo, si attentionem medicorum ad plura adhuc remedia, aetate nostra nimis neglecta, quae tamen oblivioni tradi non debuissent, provocavero.

Eruditus quidam medicus Germanus, secundum theoriam suam singularem in dysenteria (sic dicta putrida), flores sulphuris publice dilaudavit. Doct. Wedekind, qui anno 1811 eximiam monographiam hujus morbi publicavit, etiam hoc remedium laudat, praescribendo id communiter in dosi unius scrupuli singula tertia hora, cum eadem quantitate gummi arabici et sacchari sumendum; affirmatque, communiter jam post aliquot doses hujus remedii, evacuationes sanguinolentas cessare; adjicit praeterea, se in compluribus dysenteriis, nullum aliud remedium, quam hoc adhibuisse.

Etiam sal amoniacus in dosi 10 — 15 granorum, quo ego ipse quandoque in praxi mea utebar, a We-

dekindio est commendatus. Idem vir multum quoque laudat ceram, unum ex antiquissimis remediis, quae in dysenteria adhibita fuere. Formula eam praescribendi sequens est:

Rec. Gummi arab. unc. ij.
Cerae flavae purae rasae unc. ij;
terantur invicem usque ad perfectam mixtionem, deinde admisce
Syrupi papaveris unc. j.
Elix. acid. alb. Dipp. qu. s. ad gratum saporem.
Capiat omni bihorio cochlear unum (*).

Postquam ea, quae methodum usitatam, dysenteriam acutam et chronicam tractandi attinent, exposuissem: e re fortassis erit, si nonnullas historias curationis extraordinariae, dysenteriae chronicae, quas jure curationes fortuitas appellare possis, exposuero.

PRIMA. HISTORIA

Praeclarus quidam medicus, tractavit Kairi per longius tempus, absque prospero successu, hominem dysenteria adfectum. Tandem decrevit, ei potum abunde purgantem propinare, qui dum vim suam exeruisset, aegrotum fere ad mortem perduxit. At postquan dies haec, adeo turbulenta, pertransiisset, evacuationes et tormina disparuerunt, ac, ut paucis dicam, dysenteria evanuit, et aeger sanitatem priorem, sensim pedetentimque recuperavit.

SECUNDA HISTORIA.

Intime persuasus sum, complures milites hoc morbo, ob longam commorationem in nosocomiis, perire: hinc eis quandoque suasi, ut asylum hoc

(*) Wedekind über die Ruhr. Frankfurt, 1811. p. 86.

delinquerent. Unus eorum consilium meum secutus, quadam die mihi obviam veniens, dixit: domine medice, ago tibi gratias, quod me a maledicto fluxu sanguinis, qui me pene interemit, liberaveris; interroganti mihi, ope cujus remedii sanatus fuerit, respondit: per id, quod in centuriam meam rediverim, et cum commilitonibus meis, ut mihi suasisti, comederim.

TERTIA HISTORIA.

Quidam dux militum, (vulgo officialis) qui pridie nosocomium cum inveterata dysenteria deseruit, feliciter ex ea convaluit. Post plures menses obviam ei factus, cum status ejus deplorandi, in quo eum videram, recordarer, interrogavi, quanam ratione sanitatem recuperasset? postquam, inquit, centum logenas vini generosi sensim ebibi. Et re ipsa, nihil est utilius hoc morbo affectis, quam si portionem vini generosi bibant. Infelici casu nullo modo! pro nosocomio vinum procurare potui; volens tamen ei aliquid substituere, quod meos aegrotos roborare posset, scripsi Domino Desgenettes, eumque rogavi, ut intercederet, quatenus sufficiens omnino quantitas potus Caffeae aegrotis exhiberetur. Ejus zelo et opera, quod petii, brevi obtinui; potuique dein unum vel duo vascula bonae Caffeae, iis, qui ea maxime indigebant, propinare, quod mihi sane volupe fuit.

QUARTA HISTORIA.

Dominus centurio Collette rediit ex Aegypto superiori, dysenteria chronica adfectus. Cum is characteris incurii esset, nullum remedium sumsit, et in dies pejus se habebat. Ancilla aethiops, quae ei

inserviebat, mortem ejus praevidens, interrogavit: cui legare vellet, quod haberet? respondit: se omnia ei legaturum. Mulier haec cum impatientia mortem ejus exspectabat; ad cum id non satis cito, ut optasset, eveniret: decrevit ad mortem ejus accelerandam, jusculo aliquid injicere, quod is etiam sumsit, et se exinde pessime habuit. Die sequenti auxit ea dosin, unde vomitus terribilis, colica et dejectiones alvinae innumerae sequebantur; suspicatus, an non venenum accepisset, jussit residuum jusculi examinare, quod adhuc magnam partem Realgar, vel auripigmenti continebat. Postquam id confirmatum fuisset, mulier aethiops globo fuit peremta, — centurio autem convaluit.

QUINTA HISTORIA.

Sequens sanatio etiam summe extraordinaria est. Occasione peregrinationis meae, quam in Aegyptum superiorem susceperam, Tachtae notitiam contraxi cum quodam Patre de Propaganda, qui inde a sex mensibus dysenteria chronica laborabat, quae eum in statum commiseratione dignum conjecit. Remedia quae ei suasi, nihil prorsus profuerunt. Post annum unum elapsum, obviam mihi fit Kairi vir quidam procerae staturae, et corpulentus, qui me amplexus est. Postquam eum cognovissem, percontatus sum, quonam remedio a morbo suo liberatus fuisset, narravit mihi: cum in latrina alvum deponere voluisset, ingentem glirem inter femora ejus celerrime percurisse, seque hac ratione nimium perterritum fuisse, sed ab eo momento dysenteriam disparuisse. Observatio sequens aequae magni momenti est.

SEXTA HISTORIA.

Tribunus militum Goguet, qui ob dysenteriam, octo mensibus durantem, in multo miseriori statu erat, quam Pater de Propaganda, rogavit, ut sui curam susciperem. Praescripsi ei sensim ea media, ex quibus in mea praxi prosperrimos effectus habui; interim his omnibus adhibitis, morbus in pejus ruebat, et sanguinis quantitas, quem cum singula alvi depositione exonerabat, augebatur. Pertaesus, me eximium hunc ducem e morbo curare non posse, loquebar hac de re cum quodam indigena; qui mihi suasit, ut omnia medicamenta seponerem, fragmentum lateris igni imponerem, dein supra id tamdiu acetum vini funderem, donec later solummodo calidus esset; ut laterem hunc dein linteis involutum, ano aegroti applicarem, eumque toties mutarem, quoties is refrigeraretur. Interdixi aegroto omnes cibos, praeter pulpam recentium fabarum, lentium, oryzam cum paucula aqua coctam, paululum panis, et potum Caffeae. Ope hujus novi et simplicis remedii, strenuus hic tribunus militum, penitus convaluit, et subseque dux generalis (generalis) nominatus est. Sed si is mihi restitutionem suae sanitatis in gratiis referre debet, tanto magis debet is id uxori suae, cujus cura amoris plena, et zelus indefatigabilis, scopum medici multum adjuvit.

SEPTIMA HISTORIA.

Inter curationes fortuitas, etiam sequentem referre debeo. Vir quidam quinquaginta annos natus, dysenteria chronica jam a duobus mensibus afflictus, consilium a me petiit. Quotiescunque is alvum deponere volebat, terribilibus doloribus discrucia-

batur, qui mihi ex parte ab obstructione haemorrhoidali provenire videbantur. Praescripsi ei unguentum ex butyro recenti, therebinthina, opio et sacharo saturni paratum; quotiescunque is ad alvum deponendam ibat, ingerebat pauculum ex hoc unguento intestino recto; mox, facta applicatione hujus remedii, conjuncta cum diaeta consueta, intra pauciores, quam 15 dies restitutus fuit.

Hae duae posteriores observationes evidenter doceent, oportere in intestinam rectum, non solum ope remediorum cum clysmatibus injiciendorum, sed etiam ope aliorum remediorum agere, quemadmodum hoc apud tribunum militum Goguet factum est. Id quod Patri de Propaganda accidit, ostendit evidenter, ex terrore, arte et prudenter versus anum directo, magnam utilitatem trahi posse. Hinc existimo, si aegrotus per nullum remedium curari possit, debere ei ad speciem operationem quamvis dolorosam, at certe salutarem proponi, et is ad eam disponi. Hoc facto oportet eum solum in cubili locare, et super lectum transverse, manibus ad pedes protensis ponere, in quo situ a duobus viris teneretur, ac si operatio calculi vesicae instituenda esset. Hoc momento chirurgus cum ferro candenti, figuram coni habenti, coram aegroto compareret, et id versus anum ejus dirigeret, quasi id ano intrudere vellet. Crederem hoc circiter similem effectum habiturum, ac is fuit, quem glis produxit. Remedium hoc primo quidem obtutu monstruosum videbitur, sed re ipsa minime tale est, quippe quod elapsis decem annis, ex quo hoc remedium proposueram, sequentia legi: »La frayeur que la vue du cautere cause »au malade, etoit la chôse sur laquelle Roderic de »Castro comptoit le plus; car en parlant de l'effica-

» cité de la cauterisation objective dans la chute de » la matrice, il recommande de montrer avec affec- » tation le fer rouge, et de faire comme si l'on vou- » loit toucher la partie; ita enim natura retrahitur; » et cum ea uterus ipse.« (*)

OCTAVA HISTORIA.

Cum anno octavo Rosettae fuissem, occurrerunt mihi ibidem complures milites; quos Kairi dysenteria laborantes incassum tractavi; interrogavi eos, quonam remedio priori sanitati restituti fuissent? attonitus ab iis audivi: Sanationem hanc sponte secutam esse. Cum Kairum rediissem, munus medici in ejate nosocomio suscepturus, non neglexi observationem hanc, quae mihi magna momenti videbatur; et hinc scripsi domino Desgenettes, me Rosettae homines ex dysenteria resanatos vidisse, postquam Kairo Rosettam transmigrassent; veniamque ab eo petii, aegrotos Kairo illuc mittendi, quibus id necessum esse judicarem. Dominus Desgenettes gravitatem petitionis meae perspiciens, apud superiores pro hac re intercessit, et magno cum gaudio brevi post, veniam hanc re ipsa obtinui. Si commoratio nostra in hac regione pacatior fuisset, observassem certe, qui aegroti Rosettam per vices mittendi fuissent; sed bellum continuum et pestis, impediverunt me in continuatione mearum observationum.

NONA HISTORIA.

Inter curationes a me fortuitas appellatas, referri quoque debent eae, quae in Dictionnaire de Sciences médicales narrantur. (**)

(*) Dict. des Sciences médicales V. 15. p. 114.
(**) Dict. des Sciences médicales V. 15. p. 114.

Dom. Renati, cujus talenta et amorem veritatis magni facio, narravit erudito auctori capitis de dysenteria, se, dum in St. Domingo fuisset, hominem triginta annos natum, et dysenteria adfectum vidisse, quae remediis maxime congruis restitit, et quasi per fascinationem magnae imprudentiae cessit. Aegrotus nempe hic, ut sibi appetitum cibi conciliaret, avide consumsit viginti quatuor clupeas alosas, Lin, (Sardellas), impraegnatas salsura, in qua hi pisces ex Europa illuc deferuntur, et post ea vitrum spiritus sachari (vulgo Rum) ebibit. — Unus ex auctoribus hujus capitis, fere simile factum vidit. Juvenis 22 annorum, firmae constitutionis, laborabat dysenteria chronica inde a quatuor mensibus, quam nec medicamenta, nec diaeta superare potuerunt; cibos abominabitur, somno carebat, horribili melancholia affligebatur, et praeterea in statu emaciationis, periculi plenae, erat. Quidam dux generalis (officier generale), qui dictitabat, se graves dysenterias sanasse, eum ad se pro prandio vocavit, et remedium, quod communiter similibus aegrotis propinabat, praeparavit. Erat id lagena fortis vini Burgundici, cui multum sachari, nucis moschatae, et panis bis cocti admiscuit; potionem hanc singularem calefactam, aegrotus precibus ducis urgentibus coactus, ebibit; vix autem eam absumserat, et jam in somnum, per sex horas continuantem, incidit. Cum e somno evigilasset, majores colicos dolores, et majorem nisum ad alvum deponendam persensit; at appetitus auctus, et major hilaritas animi accessit; dysenteria amplius non rediit, juvenisque hic taliter priorem sanitatem recuperavit.

Restat, ut rationem reddam caussarum, quae in curationem hujus morbi agere poterant. Estne caus-

sa curationis hujus morbi in quibusdam casibus navigatio, vel diversitas temperaturae? fateor me nihil, quod sufficeret, ad id respondere posse. Jam dudum observarunt in S. Domingo, Guiana, et in aliis locis, ad curandam dysenteriam, debere aegrotos in regiones septentrionales redire. Remedium hoc adeo certum est, ut dysenteria ipso facto cesset, simulac navis, plenis antennis versus mare septentrionale fertur. Iter, seu mutatio aëris, non solum utilia sunt in dysenteria climatum calidorum, sed etiam in ipso septentrione. J. P. Frank, avunculus meus, medicus S. S. M. Imperatoris Russorum, dysenteriam contraxit, quae eum spatio sex mensium, fere ad extremum redegit; hinc decrevit muneri suo valedicere, Petropolimque in tristi hoc statu deseruit; at vix Moscoviam pervenit, et jam melius se habuit. Ecce hoc sacrificium ab eo factum, nobis pretiosam ejus vitam servavit!

Nescio interim, quomodo oblivisci potuerim tentaminum cum mercurio, postquam mihi optime notum est, eum in India orientali summa cum utilitate in dysenteria adhibitum fuisse. Transcribam igitur hic sequens caput (articulum) in usum eorum, qui subseque in Aegypto praxim medicam exercere voluerint.

D. Paisly chirurgus in Madras, primus est, qui medio epistolae catholicae, utiles effectus mercurii in dysenteria notos reddidit. Sequens fuit ejus methodus:

Quamprimum aegrotus quaepiam symptomata dysenteriae persentire caepit; exhibuit ei parvas doses emetici, eousque reiteratas, donec id versus superiora et inferiora ageret, et tam ventriculus, quam intestina libera redderet; post ea jussit aegrorum

sumere mecurium cum Ipecacuanha, sequenti ratione:

Rec. Mercurii crudi Scrup. j.
Pulver. gummi arab. Scrup. ij.
Aquae qu. s. tere in mortario marmoreo usque ad perfectam exstinctionem globulor.
adde: pulver. rad, Ipecacuanh. dr. j.
Misce et fiat massa, divid. in partes 160, quarum unam capiat singula tertia, vel quarta hora.

Aegrotus remedium hoc continuo sumere debet, donec urina, quae initio morbi nimis tinctas est, pallida evadat, quod pro signo sanationis habetur; post haec exhibetur quaepiam praeparatio opii, cum exigua quantitate Rhei, mixta cum quopiam pulvere absorbente, et hoc communiter finem curationis facit. Interim non debent negligi clysmata ex amylo.— D. Vilson, chirurgus societatis Indiae orientalis, affirmat, se, ex quo hanc methodum tractandae dysenterire in ora Coromandel adoptavit, ubi ea non est cum putredine conjuncta, ut Bengalae, vix duos homines per annum amittere, cum alias plures, quam triginta quotannis amiserit. (*)

Exstant etiam alia testimonia de utilitate remediorum mercurialium, in dysenteria climatum calidorum. Doct. Moseley, iis insigni cum utilitate utebatur. Doct. Clark (**) etiam in laudes eorum, contra eundem morbum, loquitur.

Doct. Lichtenstein, qui tardius in Capite bonae spei commorabatur, observavit, roborantia et adstringentia remedia, nullam utilitatem in dysenteria attulisse, quae se inter milites manifestaverat, sed se prospero cum successu Calomel in dosi unius quartae vel tertiae partis grani, omni hora propinasse,

---

(*) Lind Journal de Médécine de Londre T. I. partie I. p. 34.
(**) Sur les maladies pays des chauds.

et eam sensim auxisse. Sectio cadaverum eum docuit, sedem primariam dysenteriae, fere semper in hepate fuisse. (*)

Doct. Hulston quoque in India orientali observavit, dysenteriam chronicam restitisse promiscue curationi, maxime methodicae. Sciens, morbos hepatis in hoc climate frequentes esse: suspicabatur, obstructionem hepatis posse esse caussam dysenteriae chronicae. Haec consideratio eum permovit ad tentandas frictiones mercuriales; hinc unguentum mercuriale regioni hepatis, in dosi dimidiae drachmae applicatum, usque dum morbus penitus dispareret, vel salivatio se manifestaret, admirandum effectum habuit. (**)

Doct. Lind non solum frictiones mercuriales instituti jussit, sed simul eodem tempore, interne calomel usque ad salivationem exhibuit. (***)

Existimo observationem plurium medicorum anglorum satis esse fundatam, qui asserunt, primariam dysenteriae chronicae causam, consistere in inflammatione chronica cujuspiam partis hepatis. Frequentes abscessus in hoc organo, a Barone Larrey observati, opinionem hanc suffulciunt. Egomet ipse, idem vitium in hepate vidi, et fateor me errasse, cum id pro effectu dysenteriae habuerim. Incessus affectionis hepatis communiter est nimis lentus, et occultus. Non est dubium, hanc speciem inflammationis, in primis remedia mercurialia exigere, quae tamen in majori dosi, ac id a D. Lichtenstein factum, administrari debent. Si considere-

(*) Hufeland's Journal der Arzneywissenschaft. Vol. 27. p. 45.
(**) Observ. on the use of mercury. London, 1784.
(***) Sur les maladies des climats chauds.

mus, nullum remedium tam potenter in extremos fines systematis vascularis agere, facile perspiciemus causam eximiae hujus efficaciae mercurii in hoc morbo. (*)

Ea, quae Jam. Jonston in eximio suo opere, de usu mercurii, in dysenteria climatum calidorum, narrat, fere miraculis similia sunt. Asserit hic chirurgus, se ipsum, cum morbo hoc vehementer af-

(*) Gregory loquens in suis praelectionibus de morbis hepatis, affirmat, eos fere semper originem suam calori climatum meridionalium, et intemperantiae debere. Reprobat is legem diaeteticae, multum esse bibendum, et ad confirmandam opinionem suam narrat historiam ducum militum (vulgo officialium) Anglicorum, quos Tippoo-Saib cepit, et in compedibus per tres annos detinuit, ut eos puniret, ob denegatum servitium in ejus exercitu. Tractavit is eos crudelissime; obtinuerunt ii, ut demensum cibariorum, paululum oryzae et aquam; jacebant praeterea in terra bini catenis vincti, et complures eorum mortui sunt. Cadavera manebant vivis alligata, usque dum in putredinem abirent. Nemo horum infelicium credebat se tantis calamitatibus supervicturum. Ceterum dysenteria, qua plures eorum affecti erant, sensim pedetentimque disparuit. Et postquam ex longa hac captivitate residui Calcuttam rediissent, audiverunt plures eorum amicorum, quos sanos reliquerant, morbo, a quo ipsi in captivitate Tippoo-Saibii, per terribilem illam diaetam curati erant, periisse. Animadvertit idem auctor, hepatis morbos, multo rapidius in utraque India apud milites progredi, ubi ii immediate in regiones has pervenerunt. Pondus hepatis inde a tribus libris et dimidia in statu sano, augetur usque ad octodecim, quinimmo etiam ad viginti quatuor libras; ejusque substantia ita dura fit, ut difficile culter chirurgicus in eam penetret: Voyage d'un Français en Angleterre pendent les annés 1810 et 1811, Paris, 1816. T. I. p. 518.


ficeretur, per intervalla, bis intra nychthemerum, scrupulum unum calomelis sumsisse, et exinde nullum incommodum persensisse. Exhibuit is interdum etiam majores doses hujus remedii; et tenesmus semper post ejus usum cessabat. In quibusdam tamen casibus, sequebatur exinde vehemens vomitus, quem opio sopivit; auxit is quandoque hoc remedium usque ad octo, immo plane ad novem scrupulos intra 24 horas; et ex 60 aegrotis, quos hac ratione tractavit, nullus est mortuus. Quamvis non sim timidus, non auderem tamen methodum hujus chirurgi in mea praxi sequi.

Doct. Thomas, in thesibus, quas Parisiis defendit, suadet etiam unguentum mercuriale, abdomini applicandum, et pro interno usu calomel cum opio.

Errata.

		Loco	Lege
Pag. 4.	Lin. 10.	errores	errares.
4.	20.	agrotos	aegrotos.
4.	26.	apparatio	apparitio.
7.	14.	pergre	peregre.
7.	23.	clymatis	climatis.
10.	4.	adjectum	adfectum.
10.	3.	custodevisse	custodivisse.
14.	14.	augebantur	angebantur.
15.	28.	hinc clymati	huic climati.
18.	9.	cistat	cistas.
23.	10.	futurum	futuram.
26.	1.	esse	se.
27.	19.	sinistrum	sinistram.
28.	20.	ii	iis.
39.	32.	nullum	nullam.
40.	4.	temen	tamen.
47.	20.	offere	offerre.
50.	20.	mnino	omnino.
53.	26.	coemeteriam	coemeterium.
61.	20.	caussas	caussa.
72.	15.	exactae	exacte.
73.	28.	aegrotium	aegrotum.
80.	15.	animadverre	animadvertere.
80.	33.	erunt	erant.
98.	11.	Judicium	judicium.
104.	13.	obtenegentis	obtegentis.
105.	20.	redeumdum	redeundum.
106.	10.	vomitam	vomitum.
108.	10.	circumstantii	circumstantiis.
117.	6.	inolvantur	involvantur.
121.	2.	summo	summa.
142.	23.	aequa	aeque.
151.	4.	glutinosam	glutinosum.
151.	4.	abomimatur	abominatur.
152.	2.	vocarit	vocavit.
161.	8.	hae	hac
189.	26.	hocce	hosce.

Prospectus principalis.



Sectio aedificii juxta lineam A B.




Ichnographia Contignationis inferioris parvi Nosocomii:

1. Porta ingressus.
2. Vestibulum.
3. Cubiculum Janitoris.
4. — — — — Oeconomi.
5. Promptuaria.
6. Culina.
7. Cella promptuaria.
8. Scala.
9. Balneum.
10. Cubiculum pharmacopola.
11. Pharmacopolium et laboratorium.
12. Latrinae.
13. Ambulacrum conjungendis diversis Cubiculis inserviens.
14. Cubiculum ad usum arbitrarium.
15. Cubiculum Directoris.
16. Cubiculum ad usum arbitrarium.
17. Cubiculum Chirurgi inspicientis.
18. Hortulus.
19. Hortulus Botanicus.
20. Magna area usui oeconomico, et deambulationi convalescentium destinata.
21. Cubiculum lotionis (Boccadura).
22. Cubiculum Servitoris.
23. Siccatorium hyemale.
24. Area lotis vestibus suspendendis destinata.
25. Anatomeum.
26. Cella pro mortuis.
27. Lacus Calcarius.
28. Coemeterium.
29. Cubiculum vespillonis.
30. Ingressus rusticus.

Magna cella promptuaria, cellarea vinorum servandorum, et receptacula conbustibilium Subterranea.

Contignatio Superior.

1. Vestibulum inter duo aegrotorum cubicula divino Cultui inserviens.
2. Cubicula aegrotorum.
3. Alia minora cubicula convalescentium.
4. Sella pertusa (Lavelli).
5. Latrina.
6. Scala.
7. Cubile praepositi aegrorum.
8. Cella diversis unctionibus peragendis destinata.





Gez. ... lith. Inst. in Wien. .A.R.

13

[illegible]